B. N. C
FIRENZE
2718
3

27 18
3

Adumbrata Imago
SOLIDARVM VIRTVTVM
ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI POLITIANI E SOCIETATE IESV

A Marcello Ceruino Eius Nepote expoſita

GREGORIO XV. PONT. OPT. MAX.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE



SENIS,

APVD AEMILIVM BONETTVM. M.DC.XXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

2718.3

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI.

TRES illos gentilitios radios, ſi tibi, Beatiſsime Pater, dicam datos, quia ex tua altiſsima, & Cœleſti Sede ſingulas vniuerſi partes tribus diuinis virtutibus aſpergis, & ex obſcuris ac imis tenebris ad clariſsimam erigis lucem; me ne quidem vnguem à veritatis linea aberrare dicet nemo. Enimuerò Chriſtianæ Reipubli-

cæ parens vigilantiſſimus, & communis Religionis cupidiſſimus propagandæ, Purpuratorum Patrum deſignaſti Senatum, quo ad gentes, quantumuis abditas & barbaras, Sanctiſſimæ noſtræ Fidei aperiatur aditus. Ad ſperandam etiam hæreditatem illam, quæ nobis per ſpiritum adoptionis DEI filijs promittitur in cælis, omnes confirmas, nec non quinque pijſſimorum interceſſorum, quos inter Cælites adſcripſiſti precibus, dignaris roborare. Supremus tandem Paſtor, oues tibi commiſſas amplecteris dulciſſimè, ſaluberrimis alimonijs & diſciplinis ad veram innutris charitatem, & ad æter-

num regnum amãtiſsimè dirigis. Quarè hoc meum quicquid eſt de Roberti Cardinalis Bellarmini moribus, tuo inſigniri nomine optare non dubitaui. Paternos enim tuos ſpiritus in dulciſsimo filio recognoſces; ex iſto tuæ maieſtatis ſplendore lucem tenebricoſo operi meo gloriamquè eſſusè concedes, & pijſsima illius acta per omnes nationes circumferes. Verum hos ego mihi animos aſſumpſi, qui ipſius Roberti Nepos primo tui Pontificatus initio in benignitatis tuæ, & patrocinij gremio ab eodem fui commendatus. Quiquè Patruum magnum habui Marcellum Secundum; qui dum viueret ab

Excellentiſſima LVDOVISIORVM *Familia, ſummo honore, & maximæ benignitatis incremento eſt habitus. Grati igitur animi monumentũ immortalitati tuæ, quæquè ſcripſi ſacrata velis, dum ipſe poſt pedum beatorum oſcula* DEVM *Optimum Maximum precor, vt ad multos annos Sanctitatem Tuam incolumem ſeruet.*

S. T.

Addictiſſimus Seruus
Marcellus Ceruinus.



Robertus tt. S. Praxedis Card. Bellarmini.
Politianus 3. Martij 1599.

De Lacrymis, quas fundebat CARDINALIS BELLARMINVS dum purpura induebatur.

EPIGRAMMA

FRANCISCI BONINSIGNEI
ACAD. PHILOMATHI.

DVM rutilant ſparſi Romano murice crines,
Caſtaq; purpurea cyclade membra tegit:
Heu flammis circumdor, ait; quin pèllite: & vndã
Extincturam ignes lumina dia fluunt.
Quam benè nunc flammas lacrymis extinguit amaris,
Flammas, quas genuit purpura nata mari!

RELATIO
DE VITA, ET MORIBVS
Roberti Cardinalis Bellarmini Politiani,
E SOCIETATE IESV.

IMMENSA, & incomprehenſibilis ſapientia DEI, quæ habitat in conſilio, eruditiſq; intereſt cogitationibus, cuius eſt æquitas prudentia, & fortitudo, per quam Reges regnant, Principes imperant, & legum conditores iuſta decernunt, ſic Sacroſanctam Matrem noſtram Eccleſiam, quam pretioſo vnigeniti Filij ſui Domini Noſtri IESV CHRISTI ſanguine dotauit, ac multiplici Spiritus Sancti ornauit gratia tuetur, ac regit, vt pro temporum neceſsitate ido-

neos viros ei aſsignet, quibus dum per varias huius ſęculi procellas, ac fluctuantes tempeſtates agitatur, de nequiſsimo humani generis hoſte triumphare poſsit. Apoſtolorũ ita fide illam roborauit, Martirum cruciatibus, ac trophæis ſtabiliuit, creſcẽte, multiplicataq; hæreticorum prauitate, Doctorum cœleſti Doctrina illuminauit, & denique plurimorum circumſedit exemplis, quæ poſteris norma rectè vitam inſtituendi exiſterent. Itá infeſtantibus illam Hæreſiarchis in Valentinianos, vnum ipſimet, & eodem tempore dedit Iręneum, In Nouatianos Cyprianum, in Manichęos Titum Boſtrenum, in Donatiſtas Optatum, In Arianos Athanaſium, Gregorium Beticum, Hilarium Pictauienſem, Ambroſium, In Eunomianos Baſilium Magnum, Gregorium Nazianzenum, In Iouinianos, Vigilantios, ac Pelagianos, Hieronymum, Auguſtinum, Innocentium, in Neſtorianos, & Eutichianos Cirillum Alexandrinum, Leonem Papam, & Ioannem Beſsianum, In Monotelitas Sophronium, Maximum Martirem, In Niconomachos Damaſcenum, In Herricianos, & Petroboſianos Bernardum, In Huſsitas Aeneam Syluium, Silueſtrum Pieratem, In Lutheranos Roffenſem, Morum, Caietanum, Sotum, In Caluiniſtas verò, & cęteros no-

ſtri temporis plurimos, inter quos veluti inter clariſsimas gemmas vt Pyropus re-ſplendens non religione minus quam Do-ctrina, illam acriter defendit & omnibus exemplum reliquit immitatione digniſsi-mum ROBERTVS Bellarminus, cuius acta prçclariſsima cum nō nullos audierim cō-ſcribere, ingratum minimè fore duxi, ſi ea digniora in lucem referrem, tum quæ per decennium, quo à primæua adoleſcentia mea apud illum eo inuitante Romam vo-catus, ipſemet intueri, & à Teſtibus fide digniſsimis audire potui, tum etiam quæ deſumūtur ex Epiſtolis, & gentilitijs Chi-rografis, quæ pro triplici ſanguinis vincu-lo, quo Robertus cum familia mea erat implicitus pœnes me aſſeruātur. Politiana igitur in Ciuitate non minus proſpectu, & natura amabili, quàm nobili ædificio-rum deſcriptione ex antiquioribus, & pri-mæ nobilitatis familijs progenitus Patrem habuit Vincentium Bellarminum Opti-mum Virum, Matrem verò Cynthiam Cer-uinam primariam iuxtà atquè integer-rimam Fœminam, ac ſororem Cardinalis Tit: S. Crucis, qui poſtea ad Petri faſti-gium euectus Marcellus Secundus nomi-natus eſt. Quarè e filijs tertius in lucem editus anno Salutis MDXXXXII. die quarta Octobris, Robertus Puccius Sanctæ Ro-

manæ Eccleſie Cardinalis Nobilis Florentinus illum Sacro fonte ſuſcepit, communicatoquè Roberti nomine nuncupauit. Nec pueritiæ fines exceſſerat Robertus, quin pręclaræ indolis indicia dederit, & ſummam de ſe expectationem in omnibus excitarit. Cœleſtes quippè delicias deguſtare incipiens, quod temporis in illa tenera ætate in ludis, in iocis, & puerorum delectationibus concedi ſolet. Hæc omnia contemnens puer Robertus totum ſumebat in ijs, quæ ad ſalutem pertinent percipiendis, & naturæ vires ſuperare contendens non rarò formatis ſibi fictitijs Cathedris concionãdi munus explere ſe aptabat. Iis initijs creuit accuratè educatus, nec minus ætate, quàm virtutibus ſubornatus adoleuit ille, qui omnes ſecluſit lubricas vias, quibus iuuentus inſiſtere, aut ingredi ſine caſu aliquo, aut prolapſione vix poteſt, qui omnia denegauit voluptatibus, cuius omnis voluntas, omnis cogitatio tota mens Religionem, ac ſapiētiam ſtuduit quàm acerrimè contemplari. Erat quippè Roberto æqualium manus, neceſſitudo affinium, condiſcipulorum abundantia, quibus familiaritate & conſuetudine iungi oportebat. at ea moderatione ijs vtebatur, vt nulla illorum blandimenta, nulli ludi, nulla conuiuia, nullę voluptates

delectarent, & nihil ſibi expetendum putaret, niſi quod cum Sanctitate, & ſapientia eſſet coniunctum. Quapropter inanibus deſpectis curis, & in diuinis contemplandis arcanis intentus ſępiſsimè conuerſabatur in Cœlis. Sacrificio Miſſæ intererat quotidie. Beatæ Virgini pſallebat. Sacra CHRISTI communione ſingulis Dominicis diebus reficiebat ſe ſe. Sodalitati S. Stephani, quæ inter nobiles illius Ciuitatis primum obtinet locum Feſtis ſingulis aderat & piè ſermocinabatur. Quadrageſimales, & qui in honorem Sanctiſsimi Domini Noſtri Aduentus celebrari ſolent dies cum cæteris alijs ieiunijs ſedula adamuſſim religione retinebat. Pręterεundo Eccleſias ſingulas adire, & numen ſalutare volebat. Intra domeſticos parietes Familiarium etiam vitabat colloquia, rarò ab ipſis videbatur, & ſub ipſa adhùc Laica profeſsione plenè iam Religioſi Viri ſpecimen præſeferebat. His tamen ità erat intentus, vt etiam de ſtudijs nihil remitteret. Grammaticæ enim operam dedit, Rethoricæ incubuit, litteras grecas appręhendit, & ſub diſciplina Patrum Societatis IESV in omnibus miros profectus fecit. Imò ad omnia verſatili pręditus ingenio, ſyderum interualla motus magnitudines ac nomina imbiberat. Vocum di--

ſtinctionem didicerat, Poetarum erat eruditus præceptis, & ea pollebat memoria, quod Marcellum Ceruinum tunc Cardinalem Auunculum, quo tempore Politiani commorabatur, fœcundus, & eius eruditiſsimus ſermo maximè delectaret.

Erat Roberto Auunculus Alexander etiam Ceruinus eiuſdem Marcelli germanus Frater, qui Hieronyma Bellarmina Roberti Amita in matrimonium ducta amorem reciproco & duplici Sanguinis vinculo copulatum cum Bellarmina Familia effecerat. Is Robertum vehementer amabat, ſuauitatem morum, virtutum ornamenta ſumma cum admiratione in illo intuebatur, ac ſumma de ipſo expectatione concepta illum veluti in filium adſcriptum ad ſtudium Patauij cum Riccardo, & Herennio genitis deſtinarat. Et iam expectationi de ſe excitatæ Robertus reſpondere Imò præire paratus Patauium petere ſe comparabat. Sed ad maiora excitatus meliora ſibi propoſuit; caducitatem terrenarum rerum conſiderans, cœleſtium verò ſtabilitatem contemplans, temporalia protinus abijcere, ad ſpiritualia & æterna inſequenda ſenſim captus eſt. Societatem IESVS profiteri decernit. Nec tardè nouum Roberti conſilium, ac deliberationé clara indicia Parentibus aperuerunt,

qui quanta moleſtia fuerint affecti, quanto oppreſsi dolore incredibile eſt. Recens enim adhuc erat, & in illorum animis tenaciſsimè hærebat angor extincti Marcelli Secundi, hoc eſt illorum extinctæ lucis: Nec Bellarminę domui erat, in quo magis acquieſceret, quam in Roberti expectatione. In illo enim ſolabatur; in illo tota eius reuiuiſcendi ſpes poſita erat. Vehementer igitur commoti nulla intentata via eſt, qua reuocare à propoſito illum ſe poſſe confiderent. Sed neque maiorum preces, aut domeſticorum Squallor ipſum inflectere potuerunt, quin in hoc quaſi conflictu dies aliquot mirum in modum exagitatus firmior euaderet. Proponunt illi antiquiſsimam & nobilem Religionē, gloriæ, & honoris gradus in illa promittunt; ad pinguia Sacerdotia, & Cardinalatus inſignia facilem per eam aſcenſum ei futurum prępmoſtrant; ad quæ ſecluſum aditum Societati IESV eſſe commemorant. Sed hæc ipſamet, quorum cauſa ipſi pugnabant, illum reddebant fortiſsimum, & inexpugnabilem, vtpotè, qui res eas infra ſe poſitas aſpernabatur & deſpiciebat.

Aderat tunc temporis Riccardus Ceruinus ex ipſo Alexandro Marcelli Secundi Nepos, & Sobrinus Roberti, qui paternæ domus comoda faſtidiens, & rerum per-

tæſus viciſsitudines eidem Societati IESV nomen dare ſtatuerat. Factum itaq; diuino conſilio eſt, vt qui affinitate terrena deuincti eſſent ad eandem Societatem ordinemq; vocati cœleſti ac diuina coniungerentur. Noua igitur petierunt, priſciſq; poſthabitis maiorum honoribus in ordinem ſacrę Sodalitatis IESV admiſsi ſunt. XII. Cal. Octobris. MDLX. Roberto ætatis decimo octauo. Hic cum ſingularis Iuuenis ad CHRISTI traductus partes in noua ſe acie conſiſtere animaduertit. Mirum eſt quæ Religionis iecerit fundaméta, quę virtutum tyrocinia dederit. Hic à primo temporis ingreſſu ità pugnaciter ac ſtrenuè tenuit locum, vt omnibus, & Pietatis, & Sapientiæ gloria antecellere videretur. Inſtituta igitur Societatis ſuæ profeſſus, ac forma ſoliti Tyrocinij, tunc per quindecim dies ſeruata, Societatis candidatus probatus fuit, & Alumnus Collegij Romani deſtinatus, vt Philoſophiæ diſciplinam cognoſceret: Vbi quantum ſe proderit in Roberto acumen Ingenij, eſt mirabile; cum tanta celeritate propoſita appręhenderet, vt nulla videretur ei data inſtitutio, ſed ipſa propemodum indidiſſe, ac penitùs inſeruiſſe natura. Vix reliquis tantum dabatur temporis Magiſtrum addiſcentem inſequi, & ſumma notabiliora

conſcri-

conſcribere, dum ſolus Robertus non ſolum percommodè omnia, ſed claro & eleganti Poetarum metro reponebat. Sed tam miram fęlicitatem ingenij commiſcere infirma natura voluit. Dedit quippè Roberto morbos pergraues, & ex lethali, ac diuturna febri tanta imbecillitate corporis affecit, vt planê vſquè ad triginta ſuæ ætatis annos de ſalute laboraret, & obnoxium morbo tabido conſtitutus redderetur.

At hæc Roberti ſtudiorum ſollecitudinem, & ſeueriorem diſciplinam vitæ minimè retardarunt. Triennio enim, quo rerum naturalium propoſitiones, & Dogmata ſolent explanari, abſoluto, Magiſter artium creatus Florentiam miſſus eſt; vbi per annum Rethoricam edocuit & concionandi initium fecit. Deindè ad Montem Regalem apud Subalpinos deſtinatus in Rethoricę facultate pertractanda, & in ſacris concionibus proſequẽdis Triennium ſumma cum laude, & admiratione conſumpſit. Vnum tamẽ prętcr naturam fuiſſe dici poteſt, Robertum non paulatim rerum diuinarum doctrinam, & ſenſim apprehendiſſe, ſed penè confeſtim & è veſtigio perueniſſe ad ſummum; Màgiſtrum ac Præceptorem non habuiſſe, ſed inſtitutorem Authoremquè conſuluiſſe animum ſuum. Patauij

quippè vnius tantum anni periodo commoratus ad audiendam Theologiam concionandi ſimul munus exercuit: Deindè Genuam profectus ornandæ congregationis prouincialis cauſa, biduo in ſummo templo Thæſes Philoſophicas, ac Theologicas defendit, tanta cum dignitate, & ſapientia, vt ſibi omnium mentes deuinxiſſe videretur. Louanium VRBS eſt populorum multitudine potentiſsima, florentiſsima opibus, ſcientiarum ſtudio ac Vniuerſitate nobiliſsima. Hic Robertus per ſeptennium partim latinas conciones habens, partim Diui Thomæ Theologiam publicè profeſſus edocens, eloquentiam præ cęteris oſtendit egregiam; Facundiam præmonſtrauit Diuinam; magna cum animi vociſquè contentione Religionem verã acclamauit; Summa cum alacritate vanas ſuperſtitiones eſſe abijciendas, & Deos execrandos, Patrem Vniuerſi, & CHRISTVM eius Filium iam indè vſquè ab æternitate DEVM, & è DEO factum hominem eſſe colendum indixit. Interim ſacris ordinibus Robertus initiatus eſt. Quarè Leodij Subdiaconatu, Grandauij Diaconatu, & Presbiteratu ſuſcepto, Louanij Sacerdotij Primitias Diuinæ Maieſtati obtulit, anno MDLXX. Ad nouam igitur prouectus dignitatem nouos ſibi comparauit,

Spiritus, & religioſos innutriuit affectus. Magna quippè reuerentia hanc poteſtatem ſibi à DEO demandatam pertractauit. Quare quatuor etiam vota Sodalitatis Louanij profeſſus eſt. At cum ſubito militum Hęreticorum prouincia turbaretur incurſu, videns ſalutem temporalem fugæ præſidio eſſe vendicādam, vna cum Socijs mutatis veſtibus fugit Duricum. Vbi per quatuor menſes commoratus redijt louanium. Sęd cum in morbos grauiſsimos incidiſſet, quibus curandis cœli ſolum mutatio ſupereſſe videretur, accerſitus fuit in Italiam.

ROMAE autem reuerſus tuēdæ ac propagandæ Religionis cupidiſsimus docuit per vndecim annos, ſcripſitque plurima, vt vel deſertores Religionis reuocaret, vel Barbaros ad eandem perduceret. Opus quippè longè maximum & lucubrationes omnino difficillimas poſtulans aggreſſus incredibili labore, ac fęlicitate perfecit. In expurgandis confutandiſquè Hęreticorum erroribus & argumentis ſtudioſiſsimè ſuam operam poſuit; & admirabiles rationes inuenit, ac propugnacula, quibus vera pietas, vbi iam ſata eſſet, redderetur incolumis, vbi vero inſita non fuiſſet produceretur, & ab omni falſitatis ſuſpicione redderetur illæſa. Et admirabile quidem

eſt quàm citò lõgè lateque peruaſerit eius doctrina, & ad Vniuerſas penè nationes penetrarit. Nec pauci fuere, qui cum ex remotiſsimis Regionibus adirent Romam, eius hauriendæ Doctrinæ percupidi, geſtirent lætitia & inuſitato gaudio lacrymarẽtur, cum Bellarminum aſpicerent, cuius nomen celebri fama tam procul acceperant. Interim Theologiæ Doctor effectus multos eiuſdem inſignibus decorauit. At eccè tibi grauiſsimo, ac formidoloſo bello tota Gallia agitata Henricus Caietanus S. R. E. Card. Camerarius à Sixto Quinto Legatus declaratus, Pariſios petijt. Nec voluit vigilãtiſsimus Pontifex in tot Sapientiſsimis Viris huic legationi deſtinatis Bellarminum vnum præterire, cuius preſentiam vniuerſis fore approbatam, Caietano verò acceptiſsimam nouerat. Robertus igitur itineris periculis, & incommodis ſuperatis permultis, & magnificam liberalitatem Henrici proſpexit, ac poſtea celebrauit mirandam, & ſuam Henrico patefecit virtutem. Sed Pontifice vita functo cum legato redijt, & Romæ à ſuis magna lætitia exceptus, operibus inchoatis perficiendis ſe toto ſtudio iam dederat. Dum Innocentius Nonus ne dum penè Pontifex acclamatus Bellarmino purpuram maturare decreuerat. Et iam Au-

guſtino Cardinali Valerio Veronæ Epiſcopo, quem doctrina & vita ſimiliimum, amore vero & conſuetudine Roberto aſpexerat coniunctiſsimum, Marcelli Secundi, quem ſingulari & fraterno pene fuerat ſemper amore complexus, iacentem extollere dignitatem propoſitum ſibi habere aperuerat; Robertum vnum elegiſſe eius Nepotem, Auunculi pietatis ac ſapientiæ veram Imaginem. Sed cum idem Pontifex non obſcurè ſignificaſſet etiam Patri cuidam eiuſdem Societatis Iesv, qui ſui familiaris, & intimus erat, vnum è ſua Sodalitate proximè Cardinalatus honore eſſe decorandum, Bellarmini tantum reſeruato nomine. Ille ſe Pontifici gratiſsimum cognoſcens, ne ſibi hoc immineret in ſuſpicionē venit. Quarè ſicuti Spiritum humilitatis & paupertatis cum Societate ſua verè profitebatur, à dignitatibus abhorrens, vehementer commotus in lacrymas, preceſquè fuſus, ne Sodalitatis ſuæ inſtituta illæſa ad id tempus conſeruata in diſcrimen vocari ſineret, Pontificem obteſtari cæpit; & ſe nunquam diſceſſurum, niſi Sanctitatem ſuam ab huiuſmodi mētè aliquo pacto deductam relinqueret, ea, qua poterat reuerentia, affirmabat, & tam grauiter, ac dolenter querebatur vt Pontifex, qui Dei famulum triſtem ac mœreutem

à ſe dimittere non patiebatur, flexerit animum ſuum, & in proxima illa promotione neminem è Societate ſua aſſumẽdum promiſerit. Statuerat tamen Pontifex Bellarminum in ſecunda Patrum aſſumptione promouere, eidemq; Veronæ Cardinali hoc totum deprompſerat. Sed ſecundo ſui Pontificatus mẽſe penè elapſo extinctus eſt. Robertus autem cui ipſe Cardinalis hoc liquido expoſuit, & Deo gratias egit ſe effugiſſe talis dignitatis faſtigium, & Patris qui ab huiuſmodi ſe defenderat periculo collaudatam virtutem ſummopere dilexit. Interim Rector Collegij Romani, & poſtea Prouinciæ Neapolis Gubernator declaratus in hac etiam parte vigilantiſsimus admirabilem moderationem adhibuit, & in primis perpetuò Religionis plauſu fuit approbatus.

Sed ad nouum Bellarmina Virtus vocata munus, nouum eſt laudis nacta Theatrum. Conſultor nempè S. Officij effectus, & Ferrariam cum ſanctiſsimo Pontifice Clemẽte Octauo adductus, Epiſcoporum examinatoris munere fungi cœpit; Romam vero reuerſus Pœnitentiariæ Rector deſtinatus die tertia Martij MDXCIX. coactus eſt præcepto Summi Pontificis Cardinalatus inſignia ſuſcipere. Magna etenim conſtantia, ac virtute Robertus recuſauerat, & omni-

bus rationibus ſe oppoſuerat, ac precibus, quò minus hanc dignitatẽ ſubire compelleretur. Sed hoc vehemẽtius ſtudium Pontificis inflammauit, quod tantã cum ſumma virtute, ac eruditione modeſtiam in altiſsimo gradu, vt omnibus nota eſſet collocaret. Iuſsit igitur Pontifex prudentiſſimus purpuratorum Patrum numero adſcribi Robertum, Cuius ſapientiæ in Eccleſia DEI (his verbis vſus) non inuenerat parem, & qui Marcelli Ceruini Nepos tanti Pontificis hæreditarijs ornamentis propria, ac verè ſingularia addiderat. Viuebat enim adhùc & firmiſsimè inhęrebat in illius Sanctiſsimi Pontificis mente Marcelli Secundi fęlix recordatio, nec diuturnitate temporis pijſsimi viri promerita abolita erant; retinebat intimam beneuolentiam, qua Marcellus Aldobrandinam familiam, ac præcipuè Silueſtrum Pontificis parentem firmiſsimè intuebatur, & vt tantæ clementiæ ac magnitudinis animi par erat, quę Marcellus in ſublimi ſede collocatus, Silueſtro Vrbis pręfecturæ deſtinando, amoris indicia dederat, multiplici, ac generoſa gratitudine compenſare intendebat.

Robertus autem cum ſtatus mutatione ſuum quoquè animum nõ immutauit. Sed nunquam ſui diſsimilis inuicta ſtabilitate

quicquid ſemel aggreſſus fuerat proſeque-batur, nullis omnino parcendo laboribus, vt Religioni pareret fructum, & ſplendo-rem Chriſtiano nomini poſſet conciliare. Etenim ſi coluerat antea in omni vitę ſuæ parte innocentiam, ac probitatem; tunc inter grauiſsimas rerum occupationes ni-hil vnquam prius habuit, quam vt DEVM veneraretur, & Sodalitatis legibus ſolutus ſecundum leges eiuſdem viuere videretur. Quarè ſicuti præ cęteris obedientiæ tueba-tur virtutem, ità in omnibus ſuam conſu-luit Religionem, & eius Superiori cum vo-luntate ſemper iudicium quoq; ſubmiſit. Quo verò ad ea, quæ propriam diſciplinā intuentur hanc viuendi formam ſibi pro-poſuit. Summo etenim mane vt primum euigilaſſet Cœleſtium bonorum Contem-plationi fermè per horam vacabat. Dein-dè diuinum officium capite detecto, vel genibus flexis, vel ſtans cum ſumma deuo-tione ſoluebat. Sanctiſsimum Sacrum & quotidiè, pręter quam deuexa iam ætate propter corporis imbecillitatem intermit-tere aliquando coactus fuerit, libabat. Cœteras canonicas preces ſua qualibet hora recitabat; nec non Officium B. MA-RIAE VIRGINIS, & Roſaria in honorem Domini Noſtri & Sanctiſsimæ MARIAE Matris eius minimè præteribat: quo tem-

pore erumpens in lacrymas repertus fuit ſæpiſsimè. Veſperè ante quàm neceſſariæ ſe committeret quieti ſpatium temporis in his, quæ die tranſegerat reuoluẽdis conſumebat, & pijs fundendis precibus. Somni fuit adeò parcus, vt ſæpiſsimè ſuperioris temporis partem, qua cubili recipiebatur (quod ſecundum inſtituta Sodalitatis ſuæ ſeruare ſolebat) in diuinarum rerum contemplationem conuerteret. Poſtremò verò, quod è grauiſsimis & quotidianis occupationibus, quas Purpurata dignitas requirebat, quod dico ſupererat temporis, id totum in cęleſtibus perſcrutandis miſterijs, vel ijs, quæ edidit, ſcriptis condonabat componendis. Domeſticis ſuis tria præſertim alia inter multa indixit prohibita, ac ſeueriſsimè conſeruauit: Blaſphemiam nimirum, carnis illecebras, & pugnas; quæ omnia tanto inſectabatur horrore, vt firmo remanente decreto à ſe dimiſſos, qui in hæc inciderent declararet. Pluries in annum ipſemet illos cœleſti pane reficere volebat, & prius pijs monitis præparare. Quotidianas precationes inſtituit, quibus ipſo, quaſi præeunte omnem circa familiam adeſſe volebat. Illis pręſcripſit ne vnquam aditum vlli prohiberet; nemo enim ad eum acceſsit officium petiturus, quem non exciperet benignè ac fo-

ueret ſi poſſet: ſi vero non poſſet ſua deuinctum non dimitteret integritate. Etenim ſimulandi arte caruit, & à verborum, prolixitate alienus omnino fuit. Nec rarò de breui ſuo cenſu detraxit, vt ægeſtati conſuleret eorum, quorum poſtulationibus aliter ſubuenire minime poterat. Difficillimè adducebatur, vt quemquā à ſua expoſita voluntate arceret. Nullam voluit ſupellectilem, & tātum iuſsit aſſeruari ea, quæ ad neceſſariam deſiderarētur ſuſtentationē, & modeſta poſceret dignitatis conſeruatio. Opes, & ornatus ſeuerìſsimè repudiauit, eorum verò, quæ dignitatis gradum intueri poſſent extitit Zelantiſsimus.

Munera ſine Pontificis venia, quam penè nuſquam quæſiuit, neque accepit ipſe, neq; vnquam voluit accipi à ſuis, præter quædam vulgaria eſculenta & poculenta, quæ etiam rarò ſumpſit; dūmmodo non prouenirent à Religioſis. Ea enim obfirmato animo reſpuebat, & adeo inhorruit vt Cœleſtinę Congregationis protector electus grauiter ferret, quod quis è ſuis in eorum Monaſterio, ne quidem potum ſumeret, & ad hoc euitandum ſæpius ad eos nō accedere affirmaret, & cum non nunquam euenerit ipſum occaſione Capituli alicuius, vel Congregationis in eorundem Monaſterio refici cibo coactum extitiſſe, nul-

lis eorum precibus adduci potuit, quia ſtatim expenſis facere ſatis imperaſſet. Congregationibus Sanctę Inquiſitionis, Indicis, Rituum, & Examinis Epiſcoporum præfectus diligentiſsimus intererat, nec vllas functiones Cardinalitias ommittebat, niſi iuſta cauſa detineretur. Vt cauſas etiam ex quibus diſpenſationes à Pontifice concedendæ eſſent internoſceret, nec non Breuiarium Romanum, vna cum Cæſare Cardinale Baronio, & Syluio Cardinale Antoniano reformaret, fuit illi demandatum. In Eccleſia S. Mariæ in Via, cuius titulo Cardinalatus erat inſignitus ſingulis Dominicis, & fœſtiuis diebus perorabat, & de ijs, quę ad veram Religionem pertinent dicebat multa. Summam pecuniæ in ægenos illi Curæ ſubiectos liberaliter diſtribuebat, ac certum ſtatuerat cenſum diuidendum ijs, qui eandem Eccleſiam, vt Doctrinam Chriſtianam apprehenderent, adibant. In ipſa quoque Eccleſia reſtauranda, & ad magnificam, ac recentiorem formam reducenda non vulgarem pecuniæ vim inſumpſit.

Capuæ interim ampla, & honorifica Eccleſia Roberto fuit à Summo Pōtifice commiſſa, vt etiam particularis gregis onus ſubiret is, qui pro Vniuerſo tam amplas, & vtiles dabat operas. Et profectò renuiſ-

ſet ille, qui altam, & propè diuinam Virtutem poſtulabat in ijs, qui curam gerunt animarum, dum de ſua propria demiſsè ſentiebat: niſi ipſimet ſe obtuliſſet obedientia, qua ſuperiorum iuſsis ita ſemper preſto erat, vt ad ipſorum nutum non ſolum voluntatis ſed etiam iudicij cõſenſum paratum ſoleret exibere. A ſummo igitur Pontifice cõſecratus Archiepiſcopus, ſi cui in animo cognoſcere eſt, qua nouũ ſibi deſignatũ munus ratione pertractarit, agnoſcet ex exemplari, quod extat ad Epiſcopum Theanenſem Nepotem ſuum conſcriptum. Alia enim eum non docuit præter eã, quę prius executioni mandauerat. In nouem controuerſias opus diſtribuit, quibus breuiſsime, quæ Epiſcopo neceſſaria ſint ad ſalutem æternam in tuto ponẽdam, demonſtrauit. Quarum prima de non appetendo Epiſcopatu. Secunda de Reſidentia Epiſcopi. Tertia de Officio eiuſdem, quod nimirum teneatur prædicare. Quarta de Ordinatione Clericorũ. Quinta de Beneficiorum multiplicatione. Seſta de Modo agendi cum Principibus ſæculi in tuẽdã Eccleſię libertate. Septima de modo agendi cum conſanguineis, & affinibus. Octaua in quos vſus erogari debeant redditus Eccleſiaſtici. Nona de perfectione Epiſcopi, inſcribuntur.

Robertus autem non ſolum Epiſcopatum non appetijt, ſed omnes ſpecioſos titulos, honorumquè inſignia formidauit. Extat adhuc Chirographum eius manu conſcriptum, & confectum rationibus, quibus imbecillitatem ſuam longè imparem eſſe Cardinalitio oneri ſuadere attentabat. Scimus ab eodem Pōtifice Politianam Eccleſiam, quæ proximis præteritis diebus Synulfo Bencio dulciſsimo ſuo Paſtore & parente caruerat, illi oblatam (vt primo tempore Cardinalitios ſumptus commodius ſuppeteret) renuiſſe, ac reſpondiſſe ſimul; hos redditus ſe cœteris concedere, in ſua ſodalitate cubiculum, veluti ſingulis Patribus nunquam ſibi credere defuturum. Et quidem nec aliud ſeruaſſet niſi Pōtificio præcepto Archiepiſcopatum Capuanum delatum ei fuiſſet. Nec nō teſtantur, qui eum audierunt Societatis Iesv Religionem prælegiſſe, cuius inſtitutum humilitatis, & paupertatis erat.

Gregem verò ſuum nō deſeruit vnquam, ſed omni cura ſuper ipſum inuigilauit, & à Pontifice pro Vniuerſalis Eccleſiæ Republica Romæ poſtea detentus, eidem, vt alteri paſtori Eccleſiam ſuam committeret gubernandam, renunciauit. Viſitauit igitur, & pauit omnes, & ſingulas Oues ſuas; Et in earum viſitatione primum Eccleſias

adibat, & pro concione dicebat aliqua, ac ne curatos expenſis grauaret, proprijs ſumptibus ea, quæ ſibi, ac ſuis viderentur neceſſaria, comparabat. Cuſtodias & Calices ipſemet, vbi opus eſſet, ad decentiorem reducebat ſtatum, vel renouabat, & inſuper ipſorum inopię liberali manu ſuccurrebat. Magna ex parte Rituarij Romani cęremonias, quæ adhùc minime ſeruabantur, induxit. Prouincialem Synodum cõfecit. Quo plurima inſtituit optima ac peſsima deleuit. In porticibus, & Eccleſiæ introitu nundinas, ex quibus Clerus, & Archiepiſcopalis ſedes prouẽtus quoſdã recipiebat, prohibuit. Virginum quoddam Collegium ſoluta admodum diſciplina, corruptiſquè moribus ad veterem ſobrietatem, & Sanctimoniam reuocauit. Binos Eccleſiæ Canonicos, & binos illius Ciuitatis nobiles præfecerat, qui cum Theſaurario ſuo ſingulis menſibus pauperes in ſolitudine verecundos viſitarent, & eorum ſubleuarent calamitatem. Doctrinæ Chriſtianæ ſcripſit explanationem, qua fidei Tyrones facillime Catholicis imbuerentur legibus, & inſtitutis: Singulis feſtis ſolemni aderat celebrationi, & tempore Quadrageſimali excepto (quod alteri committebat) per ſe publicè concionabatur.

IN Clericis maximè ad titulum Patri-

monij promouendis parciſsimus fuit, & ne Sacerdotium contéptibile redderetur, cordi maximè habebat. Quarè accidit perſępè, quòd cum Sacerdotes ſupplices videret ad ſtipem manum porrigere, tanto concuteretur horrore, vt potius in ſe irruentes manus tollerare ſe voluiſſe affirmaret. Illis tamen eius non denegabatur liberalitas; cum præter elemoſinam benignè ſimul moneret, quòd ad ſuos redirent Epiſcopos, qui ipſos alere tenebantur, vel ſi Religioſi eſſent, ſua peterent Monaſteria.

A pluribus autem beneficiorum titulis ſeueriſsime abſtinuit. Quarè duas Abbatias, S. Benedicti nimirum in ipſa Ciuitate Capuæ, & S. Mariæ ad Procidam, reſignauit, nec primæ propinquitate, ac præſentia, cum eiuſdem Ciuitatis eſſet Archiepiſcopus, ſe tueri voluit. Imò non ſolum beneficia à ſe abdicare contentus, ipſarum penſionum redditibus ſpoliauit. Et ex decem, ac quatuor millibus annui prouẽtus, quę Pontificis liberalitate ei collata fuerãt, quatuor, & circiter millibus tantum ſibi reſeruatis, demum penè ad indigentiam ſe redegerat. Pientino Epiſcopatui eo quod breuis redditus nominaretur penſionem quingentorum ſcutorum ſibi reſeruatam condonauit, dummodo, & ipſe Epiſcopus ducenta, quæ ſuper alio tenui Epiſcopatu

poſsidebat, ſtatim deleret, ac remitteret.

Eccleſiaſticæ libertatis diligentiſsimus extitit Cuſtos, ac conſeruator, & ne ea, quæ ad vniuerſalem pertinent modò attingam, Eccleſiæ ſuæ iura, ac bona longè ampliauit, & pręcipuè in tres primarios, ac potentes Principes vindex fuit, quibus tamen in maximo ſemper fuit honore & acceptiſsimus. Cum reliquis vero Primatibus, & Regijs Præfectis ſemper communi omnium acclamatione coniunctiſsimus, ne minima quidem aura fluctus commouente tranquillam obtinuit pacem, & beneuolentiam, & talem de ſua fide, ac integritate conſignarat opinionem illorum animis, vt nihil prorſus eius voluntati denegandum putarint. Vt pote qui optimè nouerant Robertum ſolo Dei timore & honore duci, vt Eccleſiæ ſuæ libertatem defenderet; nec aliud expetere, niſi quod cum ſumma coniunctum eſſet æquitate. In reliquis verò eorum amicitiæ percupidum occurrere humaniſsimè, illam recipere, ac retinere. Et quidem ſui muneris initio prudenti & optimo conſilio omnium ſibi deuinxit animos, cum illis legem, Religionem, pacem, fidem ſe habere in conſilio; libidinem autem, audaciam, metum à ſe amota profiteri per nuntium aperuerit. Et ideò rogauerit ne quid ad ſuum Imperium pertinens

nens vnquam decernerent, niſi matura primum mente vtranquè intellexerint partem. Se à vera, & recta ratione nunquam diſceſſurum.

Conſanguineos autem ſuos, & affines illo proſequtus eſt amore, vt eos non locupletaret, ſed dirigeret ad Patrem. Quarè vt pauperes illos aſpexit, & vt minus egerent, aliqua tantum diſtribuit. Germano Fratri, qui ex pręteritis fortunarum diuiſionibus in Bellarmina domo pluries factis rem diminutam habebat, & copia prolis grauabatur; eam reddituum ſuorum aſsignauit portionem tenuem, qua rerum familiarium defectus ad ſuſtentationem tantum ſupplere poſſe cenſeret. Ceruinam Familiam, quam arctiori vinculo neceſsitudinis, & peculiari inſtinctu plurimum adamabat, penè iacentem & ſummi faſtigij in quo Marcellus Secundus paulò ante collocatus fuerat proſtratis inſignibus; ſanguinis ferè tantum reliquias, & veteris nobilitatis gradum retinere reſpiciens, dum compatiebatur, etiam terrenæ fœlicitatis deſpiciendam eſſe fragilitatem & infirmitatem; æternam verò, quæ ſine amittendi timore poſsidetur, inquirendam, ſæpiſsimè monebat. Reliquis verò, quos egere cõpertum habuit opportunè ſubueniebat, quorum vero bona in tenuem licet victum,

C

cultumq; ſatis eſſe cognouit, augere ſeuerissime abſtinuit. Et quidem ne minimum Eccleſiæ prouentum in eorum vſus Robertus erogaſſet, niſi conſilio ductus eſſet eorum, quorũ doctrinæ & auctoritati acquieſcere nunquã recuſauit. Grauiſsimi enim non defuerunt viri, qui hoc diſertiſsime pertractarint, & firmiſsimis probauerint argumentis, Robertum ſuorum debuiſſe ſuccurrere ægeſtati. Attamen eam ſibi irreuocabilem propoſuit regulam, & moderationẽ, vt de ijs quicquam ſtatui minimè pateretur, niſi ex ſpeciali auctoritate, & licentia ſuæ ſocietatis Superiorum.

Bonorum vero Eccleſiaſticorum dominus non extitit, ſed procurator tantum & diſpenſator. Quare illos in pauperes, & diuinum cultum, largè, effuseque erogauit, ea ſibi ſolum reſeruando, quæ ad modicam ſuſtentationem ſatis eſſent. Plurimis ſtatas deſignarat ſummas, quę ſingulis menſibus largirentur. Ijs, qui pro certa ſumma alieni æris vinculis detinebantur, proprijs ſuis ſumptibus liberandis Præfectum decreuit. Nemini, qui Roberto è domo egredienti, vel redeunti occurreret, ſtipes denegabatur. Nemo poſcebat qui non obtineret. In Choro vero diuinis intereſſe horis nunquam prætermiſit, & præbendę prouentus, qui Archiepiſcopo ęqua-

liter, ac cæteris Canonicis debentur propria manu diſtribuere pauperibus volebat, eo ſpeciali animi affectu, quod tunc verè de proprio daret. Illis Ciuitatibus ac Regionibus, vnde Eccleſiaſtici fructus proueniebant, certam partem ſemper voluit deſtinatã, vtpotè ad pauperum illarum ſubſidium præcipuè commiſſos perceнſeret. Maluit autem omnes iuuare, & aliquando decipi, quam nimius eſſe in peruestigãdo, vt ſi in alterutro eſſet offendendum, mallet cui non opporteret dare, quam non dare, cui opporteret. Hoſpitium indè conſtituit, quo Peregrinos liberaliter exciperet, & omnium fermè ordinum aduenas humaniter tractaret. Cathedralem ipſam Eccleſiam nouis decorauit ædificijs, in quibus non mediocres ſumptus fecit. Chorum quippè in medio Eccleſiæ Monaſtico ritu poſitum aſportauit, & ad recentiorem reduxit formã: Sacellum pulcherrimis diſtinctum marmoribus perfecit. Ianuam qua cum breuius pateretur iter, tranſeuntes mercia per Eccleſiam vehebant, clauſit, & aliud in ea deuotum extruxit Sacellum. Aedes Archiepiſcopales reſtaurauit, auxit, & ornauit. Minimam quam potuit partem in ſuos conuertit vſus & commoditatem: Veſtitus enim tantum effugiebat inhumanam, exquiſitam vero oderat formam.

Cardinalitijs veſtibus, quibus ſui Cardinalatus initio à Clemente Pontifice donatus fuerat, tempore quo obijt adhuc vtebatur. Subtus ſerica vel pretioſa veſtimenta nunquam ſuſcepit, & vnico induméto pro qualibet ſpecie contentus, illud conſumptum etiam reſarciri iubebat, & quoad poterat vſus, tandem pauperibus deferri demandabat. Subtus lineis, & primis caligis, ac tibialibus (pro ritu Societatis ſuę) nunquã detulit. Parietum ornatus nõ holoſericos, & auro diſtinctos, ſed pelliceos ac vulgares vix retinuit. Quarè certum cubiculum, quod prorſus denudatum erat, proprium appellabat, Cætera aduenarum, & Cardinalitiæ dignitatis. Menſę apparatus nullus extitit, ſed terrea vaſa; frugales cibi. Miniſtrorum, & eorum, quæ exteriora intuebantur, mediocritatem ſeruauit, ac omni penè luxu carens dignitatis honorificentiam coluit. Illud præ cęteris inſtitutum habuit, quod in fine cuiuslibet anni rationes componeret cum omnibus, & quod ſupereſſet ſtatim Pauperibus diſtribueret. Nullos vnquam agros acquiſiuit proprios, nullum ædificium poſſedit.

Epiſcopalem verò perfectionem, quam nos ex quarto loco eius cõtrouerſiarum ad Epiſcopum Theanenſem in vltimum contulimus, per paupertatem, Caſtimoniam,

ac obediétiam adeptus eſt. Diuitias enim ſuas non tanquā proprias ad poſsidendum, ſed ad diſpenſandum vt alienas extimaſſe ſupra iam diximus. De puritate, ac caſtimonia nullam vnquam Carnis titillationem ſæuiorem ſuſtinuiſſe videtur. A prima enim ætate vana ſęuerisſimè vitarat colloquia, quod cæteris adeò erat notum, vt ad Roberti ingreſſum cōponi modeſtè omnes viderētur. Vocum varietatem ac interualla è muſicis apprehendens nulla vnquam impudica ſibi proponi paſſus, ſacra ſolum cenſuit decantanda. Nec deſunt adhùc plurima, quę Robertus profanis mutatis verbis in Eccleſiaſtica conuertit. Mulieres autem ſine teſtibus, imò ſine familię ſuæ interuentu nunquam fuit alloqutus, & ab impudicitię ſordibus intactus, nec minus inhoneſtè prolata intelligere apparebat. Nobili quadam puella, quæ ſanguinis neceſsitudinę non longè aberat à Roberto in matrimonium collocata, Pater ad ipſum per litteras detulit, & non tam præ nouitate matrimonij, quam futuræ prolis indicijs in filia nouiter à natura excitatis, lętabatur. Obſcurum & minimè expeditum fuit hoc Roberto, qui huius naturalis cauſæ cognitionē nunquam inquiſierat. Quarè cuidam qui tunc fortè aderat explicādum impoſuit & quidem circumcisè ac compo-

ſitè eloqui iam cæperat ille, cum Robertus eius ſermonis intercluſerit viam, & maximè aborrens, qua vigilantia puritatis ſuę candorem cuſtodiret clariſsimè patefecit. Obedientiæ ſtudium quibuſcunque rebus potuit ſemper oſtendit. Pontificię voluntati adeò ſe reddebat promptum, vt in arduis etiam pertractandis cauſis, nec modeſtè quidem pluries inſtandum ſibi eſſe percenſeret. Superiori etiam Societatis addictiſsimus, protector Monialium Sanctæ Marthæ Ordinis Diui Auguſtini, ſine ſpeciali eius licẽtia conſtitui minimè fuit paſſus, eo nimirum cõſilio, quòd fœminarum regimen Societatis inſtituta prohiberent.

Robertus igitur ijs ſtudijs in populo ſibi commiſſo rectè gubernãdo occupatus, vitę actiuæ & cõtemplatiuæ perfectionem adeptus, in Charitate Dei, orando, contemplando, laudando, & magnificando, & in Charitate proximum docendo, exhortando, excitãdo, & increpando, tempus conſumebat; atq; à noſtris exemptus affectibus diligens populos ſuos vt filios & filias cogebat omnes ad ſui venerationem. Dum Clemẽtis Octaui Sanctiſsimi Pontificis elato funere Romam acceſſitus ad Pontificia comitia cõtendit. Verum nec voluit à populo ſuo diſiungi, quin prius ſeriò illum moneret, & pia relinqueret inſtituta.

Romæ itaq; reuerſus nihil aliud in Pontificis ſubrogatione cordi habuit, præter Chriſtianæ Reipublicæ Salutem & ſine vlla Orationis ambiguitate, quid in hoc ſentiret patefaciens, etiam in ſequentibus comitijs nullius precibus aut ſtudijs adduci potuit, vt à propoſitis vnquam diſcederet. Leone autem Vndecimo Pontifice creato Robertus nullo temporis interuallo diſceſſum præparabat, & ad ſui Gregis perſonalem curam redijſſet, niſi Pontifex Sexto & Vigeſimo die extinctus omnium luctu Chriſtianam Remplublicam orbatam reliquiſſet. Et ipſe Paulus Quintus in Regimine ſuffectus, abſolutè Roberto hoc ſtatim denegando pro Vniuerſalis Eccleſiæ ſeruitió Romę commorari iuſsit; Intimis enim Pontificem obſecrarat precibus, & poſtea grauiſsimis rationibus, vt ab illa mente illum deduceret, ſuadere conatus fuerat: Epiſcopum ex præcepto (aiebat ille) iuris diuini teneri ad reſidendum perſonaliter in ſuo Epiſcopatu omnibus prędicaſſe; à proprijs dictis facta diſſentire minime debere. Sed cum nihil proficeret, & Pontifex integritatem eius miraretur potius, quàm probaret conſilium, ſubmiſſo de more animo, gregem ſaltem ſuum alteri Paſtori gubernandum committi petijt, & Eccleſiæ ſuæ profeſsionem à ſe abdicauit: cum Paſtoris

diceret nomen ſibi non deberi, dum Paſtoris muuere fungi minimè poſſet, Obtulit quidem Pontifex, qui Vniuerſalis vtilitatem particulari gregi præferri voluit, quòd Vectigalibus haud incommodis illius Eccleſiæ ſibi retentis, quemquam ex ſuis conſanguineis, aut familiaribus nominaret. Sed omnia recuſauit Robertus, & libero iure Eccleſia remiſſa, rogatus vt aliquem ſaltem proponeret, Illuſtriſsimum Antonium Caietanum elegit, quem nuper Sanctiſsimus Dominus Noſter GREGORIVS Decimus Quintus in ſacrorum Patrum cœtum aſſumpsit. Et Henrici Cardinalis (cuius virtutem, & Doctrinam preſertim in Gallia Robertus probauerat eximiam) Nepotem non degenerem proſpiciens, aptiorem ad Paſtorale munus exiſtimauit. Capua igitur nouo Præſule decorata, Roberto Pontificis & Caietani liberalitate quatuor millia annui redditus, quo Cardinalatus inſignia ſuſtinere poſſet, conſtituta fuerunt; Et ipſe Robertus Vrbis & Orbis regimini aſsiſtere delectus, omnes ſuas implere curauit partes. Et vt quò grauiſsimę magis creſcerent occupationes, eò perfectiores in dies redderet virtutes ſuas, Doctrina & exemplo Chriſtianam Rempublicam diligenter docere nunquam deſtitit.

Et primum quidem in plurimis ſcribendis operibus maximè pro Vniuerſi ſalute egit; partim vt dogmata Sanctiſsimæ noſtrę fidei impugnantes confutaret, partim vt ſacras explanaret ſcriptiones, & partim vt rerum Diuinarum meditationibus mentes reficeret ſingulorum; & quos in via DEI ambularent, promoueret; quos vero ab ea recederent, reuocaret. Quorum ea, quæ in lucem Coloniæ Agrippinæ edita ſeptem voluminibus contéta leguntur, numerare præteribo: Et referam ea ſolum, quæ in illis deſiderantur, nimirum Roberti Cardinalis Bellarmini reſponſio ad librum Iacobi Magni, Brittanię, & Scotiæ Regis, cuius titulus eſt. Βασιλικὸν Δῶρον, ideſt munus Regium. Item Roberti Cardinalis Bellarmini examen ad librum falsò inſcriptum. Apologia Cardinalis Bellarmini pro iure Principum &c. authore Roggero VViddrinctono Catholico Anglo. Item explanationes in plurimas Epiſtolas D. Pauli. Item Compendium de Hæreſi, nec non adſunt lecturæ in Sacram D. Thomæ Theologiam; Sed non prętcribo maximè pro Ecclesia DEI inter varias diſtractaſque perfidioſorum hominum opiniones & ſectas fuiſſe momenti, multos ad CHRISTI fidem traduxiſſe, plurimos vero in ea conſeruaſſe. Et quidem inter

tot filios, quos Eccleſiæ Dei peperiſſe dicitur, duorum referam exempla.

Primum Iuſti Caluini, qui dum Bellarmini opera confutandi gratia legeret, ſenſim illuminatus, & argumentis illorum victus, pluribus temporalibus bonis dimiſſis ad Catholicam fidem ſingulari Dei vocatione fuit conuerſus. Poſtea verò Romæ hoſpes à Ceſare Cardinale Baronio humaniſsimè exceptus, in Latheranenſi Eccleſia vna cum fratre ſuo à Clemente Pontifice, Sacri Chriſmatis vnctione & Venerabilis Sacramenti alimonia proprijs manibus refectus, vt in illo Veterum errorum, ac hæreſum veſtigia penitus delerentur, expũcto odioſo Caluini Cognomine, Iuſtus Baronius nuncupari voluit. In Germaniam deindè reuerſus ab Archiepiſcopo, & electore Moguntino Aulico, & ſpirituali conſilio adſcriptus, ac ijs preſertim, quæ extirpandæ hæreſis, & propagandæ Catholicę fidei operam nauant adhibitus; Ingentem fecit fructum in conuerſione hæreticorum.

Alterum exemplum erit Beniamini Antonij Canerij Anglici, Theologiæ Doctoris, qui cum Regius eſſet Concionator, Canonicus Canthuarienſis, Decanus Theringenſis, Rector Romanenſis, & Vicarius Thomhamienſis, non modo his, ſed ſpei

etiam multo ampliori communionem Eccleſiæ Catholicæ Bellarmini operibus commendatam prætulit. Ideoq; per litteras egit illi gratias pro Animæ ſuæ libertate & ſalute. Scripſitq; quòd cum Bellarmini doctrinę lumen declinare, & iniquiſsimorum hominum calumnias ferre non poſſet, domi relictis libris in Muſæo ſuo Canthuarienſi ſimul cum reliquis bonis, & fortunis vniuerſis, ſe per occaſionem aquarum Spadanarum, & itineris Palatini ſubduxerat, & apud Colonienſes Catholicæ Eccleſiæ addixerat ſe in æternum: ſicuti Apologia ſcripta ad Regem, & ad Primarios viros plurimis litteris patefecerat.

Nec quidem minor fuit Bellarmini curà in varijs ſoluendis difficultatibus, ſeu moleſtijs detergendis, ac conſilijs dandis ijs, qui ex diuerſis terrarum Orbis partibus quotidiè coram, & per Epiſtolas ad ipſum confluebant. Cum eos paterna amplecteretur Charitate, & humaniſsimè reſponderet. Romæ vero Sanctæ Inquiſitionis, Sacrorum rituum, Indicis, Examinis Epiſcoporum, cæteriſquè pro tempore Congregationibus, quibus vt dictum eſt, præerat, qua ſollecitudine, qua prudentia inuigilauerit, quam ſapientiſsimè eius reſponſa omnium aſſenſu admirarentur, nemini eſt obſcurum. Politianã Cathedram

ſibi ab Illuſtriſs. Roberto Cardinale Vbaldino illius Ciuitatis Præſule prȩſtãtiſsimo, dum pro Apoſtolica Sede Nuntius in Gallia moraretur, enixè commendatam rexit, & Capitulo illius Conſtitutiones à Marcello Secundo confectas reſtituit obſeruãdas, additis non nullis, quæ pro tempore opportuna videbantur. Cum ijs vero, qui ad eum conueniebant, de DEO, de rerum humanarum fluxu, de Chriſtiani nominis officio diſſerere multa, vel ſaltem ſi temporis breuitas hoc non permitteret, aliqua interm iſcere colloquio ſolitus erat. Domi ſingulis Dominicis quadrageſimalibus, & S. D. Noſtri aduentus pia aliqua commemorabat, tali ſimplicitate, vt animos ſuauiſsimè mulceret, & non inanes & vaniſsimos plauſus, ſed veram contritionem ingeneraret cordis; Domeſticis autem & quotidianis ſermonibus ad pietatem & veram perfectionem ſuos inuitabat continuo; nec quiſquam Bellarminum alloquebatur, quin aliqua ad æternã ſalutem ſpectantia audiret. Hæc verò tanta proſequebatur facilitate, vt plenè omnes intelligerent omnium ſcientiarum facundiam cum vera Sanctitate in illo eſſe coniunctam. Nullis autem adminiſtris, & laborum ſuorum auxiliatoribus vſus vnquam fuit, ſed ipſemet propria manu conficiebat omnia, tali vbertate, vt

quoties in dies ſalutandus, vel ſupplicandus à quolibet appeteretur, occurreret, & illo dimiſſo ſuam ſtatim proſequeretur ſcriptionem, ac ſi nullo temporis interuallo fuiſſet diſtractus. Quarè operum ſuorum Originalia eius manu cõſcripta & nulla penè litura reperiuntur coinquinata.

Sed cum optimè ſciret nihil ad animos populorum promouendos vitæ ac morum exemplo eſſe efficacius, hoc etiam inſtituere omnes documento nunquam defuit, & vt cœleſtibus magis expeditè vacare poſſet virtutibus, eam rerum terrenarum deſpicientiam ſemper habuit maiorem, quo in altiori humanæ fœlicitatis & exiſtimationis gradu collocaretur. Quarè à diuitijs non alienus ſolum, ſed omninò abhorrens locupletibus tanquã miſerrimis compatiebatur, & ſua lętabatur paupertate. Principi cuidam Cardinali, qui in ſuo ætatis flore cum ſplendore familiæ, animi etiã internis ornamentis copulatis, Doctrinæ, & pietatis Vniuerſo cõſtituebat exemplar, Iam diù, dixit Robertus in vitæ Sanctitate profecturus es, quoad diues factus non ſis. Alteri autem, qui in quodam familiari colloquio ſexaginta millia annui redditus Eccleſiaſtici ſe habere dixerat, hilariter, & per iocum reſpondit Robertus, nihilo tantum redditum ſuum ſuperare: ex

numero enim ſexaginta millia detracto nihilo, ideſt figura, O, ſex millia ſolum remanent, quæ tunc temporis ipſe poſsidebat. Plateam autem S. Mariæ Rotundæ Vineam ſuam appellabat pulcherrimam, domi propinquam, ex qua vberes fructus breui diſpendio continuò percipere poſſet. Aliam ſe non habere quidem, commodiorem vero nullam percenſere. His enim ingenioſis, & lepidis ſermonibus non rarò vtebatur Robertus, ea tamen retenta grauitate, vt ſpectabilis, & admirandus ac ſimul facilis, & gratiſsimus omnibus redderetur. At illud in primis apparebat ſolida virtute, & conſtantia terrenas ſubſtantias pro friuolis, & inanibus omnino ducere.

Conſanguineorum autem, & ſuorum affinium amorem, quo ſinguli ſolent agitari, ita à ſe abdicauerat, vt eorum commotionibus imperturbabilis redderetur. Ceſsit è vita Angelus de Aciaria Theanenſis Epiſcopus, & Roberti ex Sorore Nepos. Ceſsit Thomas germanus Frater; Ceſſerunt affines alij, ſed nõ ceſſauit Robertus eadem animi æquabilitate, nec turbidos quidem motus egerere, ſolum enim ſolicitè indagabat extremum illum tranſitum, qua deuotione in eo temporis articulo ſacris fuerint expiati, quæ Religionis, & pietatis

ſigna dederint; Et hoſtijs, ac precibus pro illis exorabat. Lugubres, & pullas veſtes nunquam deterre voluit. Se Conſanguineis, & mundo mortuum eſſe, inanibus ijs mortalium ſolicitudinibus renunciatis, ſolum Deo viuere profitebatur. Condoluerunt plurimi, & mœſtas Roberto dederunt litteras quibus germanũ eius fratrem optimum virum ſe perdidiſſe querebantur. At non indoluit ipſe, ſed longè digreſſus reſpondit, ſe maximè lætari huius vitæ labores terminatos illum habere, & ad tranquillum gaudij portum appuliſſe. Scripſit eidem Antonius Ceruinus Pater meus, ex Alexandro Marcelli Secundi germano fratre, & Hieronyma Bellarmina Roberti alter Sobrinus, doluitq; Marcella Bellarmina, eiuſdem Roberti germana Sorore,& ex S. Agnetis Ordine Sanctimoniali Religioſiſſima, communes noſtras familias caruiſſe. Benignè quidem, vti ſolebat Robertus reſcripſit, egitquè gratias; At ſe quadraginta annis in Religione conſumptis his minimè curis ac moleſtijs affici ſignificauit; imò magnopere oblectari morte affinium ſuorum, quorum ad gloriam ſempiternam ductricem fuiſſe ſperare poſſet. Monuit eundem Franciſcus Maria Frater meus germanus, genitumq; ex Maria Bellarmina, ex fratre germano Roberti Nepote ſu-

ſceptum, & ipſius patrui nomine decoratum, è vita adhùc infantulum ſublatum fuiſſe affli&abatur; At minimè doluit Robertus; imò reſpondit, quòd præ morte illius, ſicuti in diſceſſu filiorum ſui germani fratris egerat, nec minimas guttas lacrymarum, & doloris effundere poſſet, licet conaretur: Sed quidem lacrymas gaudij, & lætitiæ cum fermè ſciret eos ad Supremas Beatorum ſedes perueniſſe, ac fuiſſe lucratos tam cito bonum illud, de quo ipſe penè ſeptuaginta nouem annorum laboribus defatigatus minimè erat ſecurus. Scripſit tandem Roberto Camilla Bellarmina germana Soror, ac prę coniunctione & beneuolentia prę cęteris ſororibus in ſe ſemper perſpecta, intentiſsimis precibus poſtulauit veniam conueniendi Romam, vti fratrem amantiſsimum, quem ne dum Cardinalitijs inſignitum veſtibus viderat, ſalutare ante ſuum obitum concederetur; at minimè cōſenſit Robertus, imò ex templo monuit, cupiditatem illam diabolicam eſſe tentationem, & ideo Signo Crucis fugandam: Et quòd cum eſſent ambo morti propinqui, futura, non præſentia, Iesv Christi paſsionem, nō vanitates, & pompas huius mundi ipſis cōtemplãdum eſſet; imò quòd ſi illa ſciret quot ſolicitudines, & moleſtiæ ſequerentur purpureas illas

veſtes,

veſtes & tranquillitatem, qua fruebatur, dum Societatis IESV geſtaret habitum, ipſe habuiſſet pro certo, quòd illa ſe potius Religioſum, quam Cardinalem reſpicere cupiuiſſet. Hæc autem omnia illius proprio Chirographo conſcripta reperiuntur.

Nec minori moderatione amoris vſus fuit Robertus in Patriam. Miſerat Politianum Capitulum binos Canonicos, qui ad Beatiſsimi PAVLI Quinti pedes humiliter prouoluti precarentur, vt Gregem illum Paſtoris iam diù Orbatum concedere vellet, poſſe recreari Bellarmino, quem Cardinalem ne dum aſpexerat, cuiquè iucundum fore, populum ſibi commendatum viſitare, ac non ingratum pro ſalute; patrio in æſtiuis caloribus perfrui aere. Et quidem iam deſtinauerat etiam ipſe Robertus Politianum adire, vtpotè qui pro Animarum Salute nullos effugiebat labores. Sed cum Pontifex Vniuerſalis Eccleſiæ ſeruitio, cui ille erat intentus, pro particulari Cathedra detrahendum non eſſe reſpondiſſet; Roberto verò ſi pro corporis ſui ſalute conſeruāda & oblectatione animi conceſsiſſet; negaſſet verò, ſi pro adminiſtratione illius Eccleſiæ ſibi eundem cenſeret; à propoſito ſtatim animum flexit, & à Politiano abſtinuit. Cœleſtinæ Congregationis Protector cōſueuit Robertus eius

Generalis electioni maximè vigilare, & ſingulos, quorum ſuffragia ad illum deligendum requirerentur, pijs monitis ſaltem, vel per Epiſtolas, vel per adminiſtros præuenire. Anno verò M.D C X I I. ipſemet aſsiſtere voluit. Quarè Sulmonę generali illorum Capitulo conuocato conuenit. Hic ſupplicationibus indictis Concionibus & pijs Colloquijs illorum animis promotis ſummo omnium conſenſu Generalis effectus eſt. Robertus autem ijs conſtitutis, quę ad Religionis diſciplinam pertinerent, diſceſsit, & S. Mariæ Angelorum Sacratiſſimam Imaginem venerabundus, vti iam diù vehementer optauerat, petijt. Hic Roberti aduetus Politianis peruulgatus maximam attulit voluptatem. Cum enim triginta milliaria à Patria & Conſanguineis diſtare tantum audiſſent; reddituſquè ad Vrbem illo tantum ſpatio prorogaretur, incredibili omnium gratulatione ad ſe acceſſurum expectabant. At negauit Robertus nulliſque germani fratris, qui illi occurrerat, & familiarium ſuorum precibus dimoueri potuit, quin ſtatim rediret Romam, ſuoſquè ſubita animorum mutatione mærore affectos relinqueret. Eccleſiaſtici ſtatus fines egredi veniam non petijſſe à Pontifice, illoq; inconſulto ſibi illicitum duxiſſe poſtea affirmauit.

Terrenas autem laudes & dominatus nõ contempſit ſolum, ſed omnino aufugit. Quarè ſi cõſanguineis & affinibus ſuis, qui eius aſſumptionem ad Cardinalatum gratulati fuerãt, cito occurrens reſcripſerat: Nouę dignitatis gradu extolli eos non debere, & eos precari, quod ſummo hoc omnium Auctori referrent, maieſtatemq; ſuam implorarent, vt ab illo nouæ poteſtatis fulgore ſuos non ſineret perſtringi oculos, & ab æterna illa cœleſti gloria per hoc temporale faſtigium ſe non præpediri; Nunc quantũ ab ijs deterreret, factis comprobabat; Et ſi in precedentibus comitijs, quæ pro Pontifice deligendo acta fuerant, vt patres illos á ſui electione ſecurius redderet alienos, ſe originem ducere á parentibus longæuis, vitęquè tenacisſimis, quaſi per iocum loquendo inſinuabat, Thomam Bellarminum, & Flammettam Tauruſiam ex Patre, Riccardum verò Ceruinum, & Eliſabettam Machiauellam ex Matre, viuacisſimos & penè nonagenuarios dicens habuiſſe parentes: Nunc quantum abhorreret ab ijs diù magis, ac magis demonſtrabat. Agebat enim Robertus pro ſui muneris officio, dum intimus, & familiaris á conſilijs illum admonuit, cauendum eſſe, ne committeret aliqua, quibus Regios offenderet Prętectos, eorumq; læderet

voluntates, qui facilè ſuis ad ſummum etiam faſtigium obeſſe poſſent rationibus. Sed his minimè commoueri reſpõdit, imò ſe Pontificem eſſe omnino nolle, & Marcelli Secundi Nepotem ſe profiteri, qui in Concilio Tridẽtino pro Pontifice Legatus etiam contra necis minas, quædam, quæ à recta ratione diſſona ſibi videbantur, denegauit. Ingraueſcente verò ætate, cum vnius auris vſum penè perdidiſſet, certo ſibi fore impedimento ad ſupremum munus lætabatur. Se magis debere Cardinalium Senatui, ijſquè in primis, qui ſummum ei magiſtratum non detulerant, quàm Clementi Octauo & Petro Cardinali Aldobrandino, qui in Cardinalem eum delegerant, publicè proferebat. Nec tamen ignoramus, qua animi gratitudine Aldobrandinam familiam coluerit, Qua veneratione de Sanctiſsimi Pontificis Clementis pietate fuerit loqutus, quo ornatu de eius magnificentia dixerit, qua animi ingenuitate innumera in ſe beneficia illius commemorauerit, quam Prolixè & iucundè de eiuſdem morum facilitate, & paterna clementia ſępiſsimè diſſeruerit; ſicuti etiam ſcimus, illum, ſi non par gratum, ſaltem ſuæ beneuolentię & obſeruantiæ munus in Petrum Aldobrandinum ſemper retuliſſe. Splendorem illius gentis ea, qua ſibi licue-

rit, contentione fouiſſe. Illuſtriſsimum D. Hippolytum, ſicuti Sanctiſsimus D. Noſter GREGORIVS Decimus Quintus in Cardinalem aſſumpſit, pluries exoptaſſe, & petijſſe. Robertus igitur à ſupremis abſtinere non contentus, propria etiam dignitate ſe abdicare tentauit. Quarè doctiſsimos conſuluit viros, vt Cardinalatum omnino deponeret; Sed cum nemini hoc conceſſum fuiſſe ſibi propoſitum audiſſet, ac in primis Noſtris temporibus Diuo CAROLO Borromeo, & Roberto de Nobilibus Politiano Iulij tertij Pronepoti, cuius inſignem Religionem Bellarminus maximè venerabatur; ſe continuit, eorumq; & Marcelli Ceruini Auunculi ſui Magnæ pietatis opinione præmortui veſtigia reſpicere nunquam deſtitit. Quarè illorum & aliorum Cardinalium, qui Sanctitatis reliquerunt odorem Imagines ſibi ad intuendum & imitandum expoſitas habere voluit, nec nō acta ſæpiſsimè legere, & perrcenſere conſueuit. Cum nihil magis mouere diceret, quàm præcepta Chriſtianarum virtutum ad praxim redacta conſpicere, ſibiq; ante oculos proponere res geſtas, & inſiſtere operibus illorum, qui noſtræ eiuſdem conditionis, & muneris præceſſerint: Et quidem ſe poſuiſſet Robertus publica ſaltem negotia, & ſe recepiſſet ſoli-

tudine ab humanis curis vacuus, ſi Cardinalatus dignitatem ſuſtinens ſuo munere non fungi licitum iudicaſſet, ſed reſeruandum duxit ad illam ætaté, qua in Vinea Dei laborare nō valens, pijs ſolū meditationibus ac precibus prodeſſe poſſe videretur. Mortales interea plauſus vitabat omninò, & occurrentium frequétiam, qua ducendus, & reducendus erat eam voluit ſolum, ſine qua de dignitatis gradu detrahi potuiſſet. Humilitatis Chriſtianæ cuſtodiebat virtutem vigilantiſsimè, & ab omni faſtu abhorrens ſubmiſsū cuilibet ſe prębebat & humaniſſimum. Pauperes etiam nec dum ſtare coram ſe capite aperto patiebatur, famulos & aulicos ſuos, veluti extraneos aſſociare ſæpiſsimè viſus fuit. Nec rarò accidit, quod de nocte à cubiculo, in quo ſtudijs morabatur intentus, diſcedentibus domeſticis lumen ipſemet geſtans præbere tentaſſet, & aliquando præbuiſſet, donec ad eos, qui aſsiſtere ſolebant, peruenirent. Operum ſuorum mentionem facere conſueuit nunquam, & laudantem aliquem audiens rubore ſuffuſus, ſermonem aliò vertere conabatur. In lucem edi minimè vnquam fuit paſſus, niſi prius alieno comprobata iudicio, & quia cum humilitate ſapiétiam ita habebat coniunctá, vt neq; humilitas de doctrina, neq; doctrina de humilita-

te quicquam detraheret, ſicuti modeſtè & conſtanter contra impugnantes defendit ſẽper & obtinuit: Ità iuſtis ſua ſupponere, & nõ nunquã etiam in quibuſdam, licet minimis, de quibus nec ipſimet illi dubitarẽt, eorum ſequi iudicium minimè recuſauit.

Ab ijs ergo terrenis affectibus liber, eas etiam in dies diligentius amplectabatur virtutes, per quas veluti per ſeptem gradus ad apicem perfectionis progreditur. Et cum vera primum prudentia omnes ſuas ordinabat actiones ad verum & optimum finem, & per vera media nihil aliud pręter Animarum ſalutem quærebat. Quarè veritatis cultor eximius, quantum inter prudentiam, & aſtutiam intereſſet, demonſtrabat. Et ideò nõ ſolum mendaciorum, verum etiam perplexi ſermonis ita erat inimicus, vt ne quidem in alieno ore vnquam reperiri poſſe crederet; qua animi ſimplicitate contẽtus vltimo etiam ſuæ vitæ tempore mendacium cuiuſdam veluti barbaram artem deteſtans; reciprocam animi & verborum rectitudinem in ſuis pręcipuè Illuſtriſsimis Collegis ſemper inueniſſe profeſſus fuit. Capuæ Sacerdos quidam impudicitiæ crimine accuſatus, cum ſe Virginem teſtaretur, credidit Robertus, & in Sacerdotis ore mendacium exiſtere non poſſe reſpondit. Grauioribus autem in

cauſis pro fideliſsimo cõſiliario habita primum oratione ad Devm, liberè & conſideratè omnibus, & cuicunquè hominum generi ſua aperiebat conſilia. At ijs pręſertim, quibus pro conſcientiæ ductu à dignitatis ſuæ munere poſtulari percenſebat. Nec Pontifici etiam Summo quid de eligẽdis Epiſcopis, quid de bonis Eccleſiaſticis diſtribuẽdis, & de Concilij Tridentini obſeruatione ſentiret, pluries ſignificare deſtitit. Scripſerat illi quidam; & intimis occurrerat precibus, vt auctoritate ſua ad Epiſcopatum ſe foueret promouendum. Nec tardè reſcripſit Robertus cum S. Bernardo, cunctantes ſolum & renuentes aſſumendos, eos verò, qui pro ſe rogant, iam iudicatos eſſe. Reuocarunt hæc animum illius, & clariore oborta ſibi luce excitatus, in eam deliberationem ingreſſus fuit, vt de non appetendo Epiſcopatu libellum inſcriberet, & Bellarmini ſubmitteret iudicio. Et quidem nõ defuit poſtea Robertus inſignibus eius virtutibus auditis Summo Pontifici eundem proponere, & ad Epiſcopatum idoneum exiſtimare. Hanc verò æquitatem, & animi candorem tali cum modeſtia, & facilitate Robertus coniunxerat, vt omnium ſibi deuinciret animos, & adeò promptos redderet, vt ardua, ac difficilia plerunquè negotia ad optatos

fines perduceret. Ita Cœleſtinæ Religionis Protector cum Paulo Quinto Pontifice & per litteras cum Ludouico Chriſtianiſſimo Rege ſedulò, & ſtudiosè agens in obedientiam eius generalis ſingula Gallicę nationis Monaſteria, quæ iam per ſpatium centum annorum ab eo defecerant, redegit, & Patribus illis per Reuerendiſsimum D. Celſum Amerigum Abbatem Generalem inuiſis, & Pariſijs quibuſdam in generali Capitulo ſtabilitis, implicitum, ac ſanè inuolutum negotium ſumma omnium pace & conſenſu abſoluit. Ità etiam grauiſſimam inter Lucenſem Rempulicam, & eius Ciuitatis Epiſcopum controuerſiam, quæ nullius adhùc labore & diligentia ſedari potuerat, mirè compoſuit. Lucenſibus ſatisfecit, Epiſcopo placuit, & omnium gratulatione inter illos primæuam reſtituit beneuolentiam.

At non ſolum prudentiæ humanæ, verum etiam ſupernaturalis, & præuidentię donum habuiſſe Robertus videtur. Henrico Caietano in Galliam proficiſcenti, in reditu Pontificem ſuperſtitem non inueniendum dixerat. Syluio Cardinali Antoniano, qui tunc apud S. Marcum erat Clementis Octaui Cameræ Magiſter, Pontificem tres & decem annos victurum prędixit. Eodem Cardinale Caietano Romæ ægrotante, fun-

debat Robertus ad DEVM aſsiduas preces, ac pro valetudine de ſe benemeriti exorabat: Cum ſacrum faciēs, dum de more precaretur, audiuit in Spiritu hanc vocem. Siſte, quia morietur, nec amplius viuet. Cum verò ipſe orare proſequi vellet; iterum, ac tertio his ipſiſmet verbis deturbatus fuit. Sacrificio igitur peracto de Caietano ſolicitus diligenter ſciſcitans, monetur conualuiſſe, & præcedenti Veſpere Eccleſiam S. Potentianæ adijſſe. Quarè lætus Robertus, & hanc diabolicam illuſionem fuiſſe credens, illis, qui tunc aderant, patefecit. Sed altera die Caietanus recidit infirmus, & vitam finiuit. Capuam ingreſſus Idibus Maij MDCII. in libello, quo eius Ciuitatis Archiepiſcoporum nomina deſignata permanent, ipſi allato ſuum ità deſcripſit; Robertus Cardinalis Bellarminus Capuæ Archiepiſcopus ſedit tribus annis. Ludouico verò Aragatio Politiano & familiari ſuo, qui huius rei cauſam quęſiuit, reſpondit ille, in ea Ciuitate tribus annis, ne dum elapſis ſe commoraturum. Nobilibus quibuſdam per Capuam tranſeuntibus inuitatis, cum ſe illius hoſpites in reditu futuros promitterent; ſe non inueniendum fore reſpondit, ſicuti res ſe habuit: Moritur enim Pontifex, & ipſe Romam redijt. Clementem verò Pontifi-

cem ineunte Menſe Martio M D C V. periturum, & ſe rediturum Romam, pluries indixerat. Paulo Quinto ad Pontificatum elato communis ſtatim manauit ſermo, quò maturus illi vaticinabatur deceſſus. Robertus tamen, cum de hoc Aragatium diſſerentem audiſſet, ait. Ne huiuſmodi fabellæ fidem preſtes: Pontifex enim diù viuet; cum verò an per decennium rogaretur, longè diutius indicauit. Epiſcopo Theanenſi Nepote ſuo ægrotante in domo profeſſa Societatis IESV Neapolis; Monuit Robertum quidam Pater ſe bono animo eſſe, Epiſcopum melius habere in dies, & priſtinæ ſanitatis recuperandę dediſſe ſigna; Sed extemplò reſcripſit ille deſperatam valetudinem Nepotis eſſe: ad vitę exitum illum comparari monendum: nec diù ſtetit, quin morbo maiorem in modum aucto vitam finierit. Hieronymo de Oddis vtriuſquè Signaturę Referendario, & Auditori ſuo, qui die decimaquinta Ianuarij. M D C X X I. exponebat vidiſſe quãdam litteram extraneis ex partibus prodeuntem, ex qua indagari poſſe videbatur Paulum Quintum Menſe Auguſto proximo moriturum, reſpondit Robertus ad decimi ſexti anni ſui Pontificatus finem illum non peruenturum; nec ipſemet præterijt Menſis, quòd è vita diſceſsit. Ijs, qui in Curru cum

Roberto vltimum Conclaue ingreſſuro ambulabant, futurum Pontificem GREGORII nomine appellandum fore diuinauit. Ouidio de Amicis Canonico Capuano ſibi mortem proximo menſe Septembris, & in Solemnitate S. Franciſci affuturam aperuit. Vgo Fantius I. V. D. Politianus, qui ad Robertum humiliter in Vaticano ſalutandum, & veniam pro diſceſſu petendam Calendis Iulij acceſſerat, mira hilaritate repletum illum inuenit, qui precata primum fœlicitate, inter cætera digito quaſdam pias Beatorum è Societate IESV Imagines deſignans dixit, hæc ipſamet verba. Cito ad eos volo conuolare, & ad eos volo conuolare ſine dubio, & ad eos volo conuolare citò, citò: Mattheus Tortus Theologus Papienſis Roberti familiaris, & Octauius Chiarella eiuſdem cubiculi adminiſter, læthalem in febrem inciderant, ſed cum magis ipſum Tortum grauatum audiſſet, ſanitatem annunciandam illi comiſit: Chiarellam verò periturum manifeſtauit; Nec aliter res ſe habuit: cum breuiter Tortus valetudiné redegerit, Chiarella verò obierit. Cubiculi tandem ſui adminiſtris dum in Vaticano præterito Menſe Auguſto pedes illi lauarent, vltimò hæc ſibi præſtari affirmauit.

Altera virtus, quam cordi habuit Ro-

bertus fuit Iuſtitia, qua leges omnes diuinas adimplere, & ſingulos, quos præuaricatores noſceret habere odio, ac ſi quomodo poſſet á præuaricatione compeſcere in dies magis ac magis curauit. Et quidem teſtantur eius familiares, nec vllum veniale crimen ab eo vnquam voluntariè perpetratum aſpexiſſe. Proximos, verò incredibile eſt, quàm intimè doleret Robertus, quoties declinantes à lege audiret, & quo deſiderio ſuccēderetur ſuccurrendi populis ijs, qui in periculo morarentur. Germaniæ afflictabatur incendijs, Belgij querebatur calamitatibus, Galliæ compatiebatur perturbationibus, & communis Religionis horrebat pericula, nec alibi cor ſuum, & ſermones vertere ſcire videbatur. Ac tandem tàm auidè Iuſtitiam ſitire cœperat, vt ſæpiſsimè mortem expeteret, & ab illis Chriſtianæ Religionis miſerijs ſegregari ſupplex audiretur.

In ea verò Iuſtitiæ parte, quæ particularium adminiſtrationem reſpicit, etiam in tribuendo vnicuique ſuum fideliſsimus extitit. Et primum, vt ab alieno redderetur ſecurus, contentioſa maluit cedere, quā lites ſuſcipere. Pauperibus liberaliter dare, & in vſus ſuos quàm minimum retinere quotidiè reddebatur vigilantior. Quarè non ſolum ſuperuacanea, quæ Pauperibus

debita reputabat, ſed victui & veſtitui ſuo neceſſaria ſubtrahere, & in pias perſonas conuertere ſolitus fuit. Maria Chriſternia, & Leonora Ab Auſtria Sereniſsimæ Archiduciſſæ. Quæ Halæ ſanctimonialem vitam ducebant, Crucem quandam pretioſam, & auro ac gemmis diſtinctam Roberto, cum quo pro ſpirituali beneuolentia pijs ac deuotis Epiſtolis ſæpiſsimè cõferebant, dono miſerant. Et quidem Robertus earum liberalitatem celſitudinum, ac titulum deuotionis reſpiciens, ne in aſperitatis nomen incideret, repudiandam non cenſuit; ſed ijs, quas poterat gratijs redditis, illam vendidit, & pecuniam, quam collegerat, intulit in Eleemoſinas. Nec alium ſeruauit ordinem in ijs, quæ per Anni ſolemnitates à conſanguineis vel amicis ſuis eſculenta, licet rara & vulgaria, recepiſſet. In maximo etiam frigoris algore, & inclemẽtia ſuccendi in cubiculo ſuo ignem difficillimè patiebatur, & ijs, qui ad eum cõfluebant diſcedentibus, ardentia ligna, & aliquando totum ignem extinguere propria manu viſus fuit. Cereis lucernis ad extremum vti, & maxima parſimonià voluit: Et ſummo mane, vt primum dies oboriretur, ſublatis illis aeri exponebatur, quod aliquando illi non mediocris fuit detrimenti. Sed Pauperibus detrahere nolle

hoc, quod in ijs inaniter expendiſſet profitebatur. Illa pauperum eſſe non ſua, quorum procurationem quodammodo gerens vt propria ſibi vendicare non liceret. In alios tamen eam ſeruauit æqualitatem, quod peccare in nimio rigore, & ijs, quibus æquum eſſet, denegare minimè pateretur. Quarè familiaribus ſuis non ſolum determinatam & honeſtam pecuniæ quantitatem, qua dum quiſque pro ſuæ vitæ ſuſtentabatur opportunitate, communem & tranquillam obtinebat pacem, ſed etiam cuilibet eorum penſionis vel beneficij alicuius prouentum contulit, vt pro diuerſa gradus qualitate, ipſorum occurreret neceſsitatibus. Conſanguineis verò illos Eccleſiaſticos redditus conferre denegauit; quibus locupletiores effici poſſent; aſsignauit verò eos; ad quos pro temporum varietate eiuſdem Societatis Patres & Superiores impulerunt rationibus ijs, nimirum, vt minus egerent, & vt priuatam ac vulgarem vitam illis gerentibus, ad virtutes obſtructus non relinqueretur aditus.

Mariæ, Hippolytæ, & Cyntiæ ex eodem Fratre germano Nepotum, cum primum ad congruam ætatem peruenerint, diligenter explorato conſilio non defuit, quin Ceruinæ primam familiæ; Tauruſiæ ſecundã matrimonio collocaret; Tertiam verò Sancti-

monialem efficeret; & cum honeſta ac vulgari dotis impenſa ſanguinis ſui puram & antiquam nobilitatem conſeruandam curaret; Et ſicuti neceſſaria illis impertiuit, ita in cęteris, licet, quæ ad decentem & honeſtum ornatũ concedi ſolent, de ſuo impendere negauit omninò. Sed animæ tantum intentus profectui, pijs monitis & incitamẽtis inſtruxit, & ad omnem illas confirmauit pietatem.

Tertia virtus qua ſe exercuit Robertus fuit fortitudo & patientia, qua ſuperabat difficultates omnes, quæ bonas operationes impediunt, & fortiter dimicando aduerſus diabolicas tentationes aſsiduos tolerabat labores, nunquam à publicis & grauiſsimis Aulæ occupationibus feriando, & ſtudiorum interponendo perpetuitatem. Hac ſe contra hæreticorum fraudes paratiſsimum adornauit, & improborum fucata ſtudia ſeuerè declinare promptum præbuit, Et operam dedit adeò pertinacem, vt non rarò noctes etiam inſomnes duceret perſcrutando, & inquirendo remedia, quæ malis imminentibus adhiberi poſſent. Hac fuit ſemper animo ita præſenti in moleſtijs, & ſolicitudinibus, vt nunquam à ſede rationis, & religioſa conſtantia aberraret. Quarè nec minori animi magnitudine extitit Robertus in corporis ſui perferendis

doloribus,

doloribus, quos non modo inuitus, ſed libēter etiam appetebat. Excruciatus enim fuit hoc ſuæ ætatis tempore Crurium intumeſcentia, quæ non modicam requirebat ſæpè curationem, necnon exiguos excitabat angores. Vexatus eſt aliquando Pituitæ diſtillatione, & deſcenſu, qui ſtomachum offendens adeò faſtidiebat; vt cibos hauſtuſq; omnes reſpicere cogeretur. Suſtinuit nō nunquam acerbiſsimos etiam & aſperrimos dolores, à renulis, & calculis illatos, quibus maximè afflictabatur. Nec minori laborauit moleſtia, cum in Monte Caſsinati dexterum brachium è ſuo loco dimouit. Petierat enim ille, cum ſeptuaginta quatuor eſſet annorum, illa viſitare loca SS. Benedicti, & Scolaſticæ nobilitata reliquijs; & cum Montis difficultatē ex ſe ſuperare minimè poſſet, dum equm aſcēderet corruit,& dexterum adeò confregit, vt non breuibus remedijs opus habuerit. His tamen morbis nunquam Robertus fuit adeò exterritus, quin clariori ſemper fortitudinis & patientiæ documento, etiam dum in lecto decumberet & grauius laboraret carnis paſsiones ad cuſtodiam humilitatis à Deo ſibi collatas aſſereret, & in vnius Dei commemoratione ſumma cum voluptate acquieſcens, etiam pro eius amore atrocioribus afflictari cru-

ciatibus deſiderio ſuccenderetur. Imò maxima flagraret cupiditate vinculis corporis diſſolui, CHRISTVMQVE Dominum, & Redemptorem videre ſuum facie ad faciem. Quapropter ſicuti quotidianas cogitationes & colloquia ſua inter has defatigationes corporis in aliud, quam in diuina volũtate indaganda & quærenda æterna gloria non inſumebat. Ità Medicorum dictis ſe præbebat obedientem, & in illis ſuæ ſalutis curam omninò proieciſſe apparebat. Etenim ex eo ſolum conqueri magnopere audiebatur, quod nimirum lecto afflixus à publicis laboribus, à ſtudijs, à Vigilijs, à Ieiunijs, à Sacrificijs, ab Horis Canonicis prohiberetur, & non nunquam mentem etiam à cœleſtibus rebus & meditationibus iuberetur auocare. Hæc enim præcepta licet pro viribus obſeruanda curaret, adeò tamen grauabatur, vt ſæpiſsimè ad animum leuandum, & corporis mitigandos affectus ipſimet illi, qui negauerant, eadem concedere cogerentur. Cum verò loco moueri, & greſſum penè inſtruere inciperet, nihil ei longius videbatur, quàm ſuos reuocare labores, & Medicorum effugere curas. Nec dum dexteram è Monte Caſsinati reuerſus recuperauerat ad operationes idoneam; imò vix oſsibus ſuo loco repoſitis accerrimos euaſerat dolores, quod à ſacri-

ficando ſe continere minimè patiens ve-niam à Pontifice impetrauerit celebrandi, & leua tantum Sacratiſsimam Hoſtiam ele-uandi. Sed ijs, quę natura dabat toleráda minimè contentus, plurimas quotidiè in-ueniebat patiendi vias. Et primum mor-bis prædictis vexatus, tàm differebat cu-rari, quam diù ſimulandum ſibi liceret. Doloribus aliquando preſſus frigus præte-ritis diebus ſe toleraſſe eximium, eiquè cauſam tribuere illorũ fuit faſſus. E lectu-lo ſurgere ſolus, & ſine vllis adminiſtris, veſtes ſummo manè ſibi componere con-ſueuit; Pelliceis & Chirotecis vti etiam per ſummam hyemem, & dum præ frigore tumidas haberet manus, denegabat: leues ſeu grauiores veſtes per anni mutationes nunquam popoſciſſet, niſi Adminiſtri eius calore vel frigore preſſum videntes, pro-prio conſilio accommodaſſent. Muſcas, & ſimilia animalia, quæ moleſtiſsima eſſe ſolent, ſuſtinebat patienter, & illas etiam viuere debere, ſuis ſolebat dicere. Flagel-lis corpus ſuum cædere aliquando etiam in hac vltima ætate non pręteribat. Singu-lis annis à publicis recedebat negotijs, & in Nouitiatu Societatis ſuæ DEO ſolum va-cans, ad mortem ſe comparabat; cuius ta-li deſiderio tenebatur, quod ad ſe quaſi blandimentis inuitare videretur, & quia

eam complecti non poterat, animo ſaltem & cogitatione fortiter delibabat. Nequè proximis annis quicquam frequentius iterare colloquijs ſolitus erat, quam ſe breui moriturum; Et propterea libellum de arte bene moriendi inſcriptum editionum ſuarum terminum eſſe velle. Ac deinceps de fluxis caduciſquè corporis & fortunæ bonis; De Gloria Beatorum; de Gehennæ ſupplicijs; de extremo Iudicio; de propinquitate mortis, ac ſimillibus diſſerebat ſępius; ijſq; ſe contulerat reuoluendis libellis, quos de aſcenſione mentis in DEVM, de fęlicitate Sanctorum, de Gemitu Columbæ; de Septem verbis Domini in Cruce prolatis, & de arte bene moriendi ediderat, cæteriſq; etiam ab alijs confectis, in quibus propriæ mentis refectionem inueniret.

Quarta virtus Roberti, & quidem eximia, fuit temperantia, qua ſenſualibus delectationibus frenum inieciſſe videbatur. Etenim in Virginitate illum conſenuiſſe, ſi vitæ eius reſpiciamus continuatos & nunquam diſsimiles actus, dubitari minimè poterit. Quo verò ad Sobrietatem attinet parciſsimus, guſtatum funditus perdidiſſe, ac ſolum ſimplici Cichorio, & Lactuca recreari videbatur. Nullum ædilium, vel genus condimenti indicere conſueuit; nihil

inter edendum queſtus fuit, licet cibaria male coƈta conditaq; fuerint. Vnò tantum ferculi genere vti voluit, & illo vulgari & parabili. Menſam verò Sacræ ſcripturæ ac Sanƈti cuiuſquam vitæ leƈtionibus nec non in fine Martyrologij Romani ornatam habuit. Nequè ceneralia cæteraquè ab Eccleſia ex pręcepto impoſita tantum, ſed etiam in Sanƈtiſsimi Domini Noſtri aduentu, in quarta & ſexa feria, alijſque diebus per annum ieiunia ſeueriſsimè obſeruabat.

Virtutibus Cardinalibus expeditis, veniamus ad Theologales, quarum prima eſt Fides. Hanc verò Robertus tàm ſtrenuè tuebatur, vt illam non ſolum verbis & operibus profiteretur, ſed præ cæteris etiam ad eam excitãdis cogitaret aſsiduè & eruditè, ſcribens pro Eccleſia Dei, Dauidicę Turri aſsimilaretur fortiſsimę. Pro hac hæreticorum ardentia & ignita tela extinguere, excipere, ac retorquere quærebat continuò, & tàm fortiter propugnabat, vt fidei defenſor acerrimus appellaretur. Et quidem pro firmanda, fouenda, & amplificanda Religione gemere ſæpiſsimè audiebatur, ac plorare coram Domino, intimoq; commoueri, & fodi videbatur animo, quoties nequiſsimorum Spirituum argumenta varios ſeducere commemoraretur.

Quia autem fides ſpem ac fiduciam gi-

gnit ingentem, quæ eſt alia virtus Theologalis. Ideò Robertus in omnibus per Orationis medium benignitatem adibat diuinam, & in fide nihil hæſitans certò credebat DEVM ſibi affuturum. Ac grauiſsimis viris minimè erat ignotum, ipſum à DEO nihil ex propoſito petere, quod non impetraret. Capuæ nobili cuidam mulieri, quę ſenſibus deſtitutis iam proximè ad mortem acceſſerat, ſigno Crucis in fronte peracto ſanitatem obtinuit. Alteram verò fœminam à Demone vexatam, Ieiunijs & oratione ab illo impuriſsimo ſpiritu, quid vult iſte Bellarminus exclamante, abſoluit. Per manus impoſitionem & Orationem Religioſum quendam liberauit à Parētum ſuſurru ac vocibus, quas perpetuò ad aures ſuas habens diù agitatus grauiſsimè cruciabatur. Ipſimet denique Roberto requieſcere à laboribus ſuis, & in Domino obdormire in die dicato Feſtiuitati S. Frãciſci, ſicuti præ ſpeciali in eum deuotione optauerat, conceſſum eſt. Hac etiam ſpe ferebatur in DEVM, & voluntatem excitabat ſuam ad æternam fęlicitatem ſperandam, dum per adoptionis ſpiritum, vt verus filius & Hæres DEI, ad Regnum æternum aſpirabat, & ſuſpirabat aſsiduè; & cum ſolum in infinita DEI bonitate ſuſtentaretur & miſericordia, ac ab ea tantum

penderet, in rebus ideò humanis nihil perfugij collocabat.

Supereſt poſtrema Virtus, ſed verè magna, & Virtutum cæterarum Regina Charitas Dei ac proximorum, cuius officia exactiſsimè Robertus exercere vehemētius quotidie curabat: Et primum præ Deo, quem diligebat verè, reliqua omnia ducebat nihil, & quantislibet preſſus curis, cum illum videre ſicuti eſt, adhùc minimè poſſet, in quotidianis beneficijs commemorandis & contemplandis pulcherrimis eius operibus dulcedinem illius experiebatur continuò. Imò per Charitatem in Deo manebat, Deo inhærebat; in Devm terminabatur, In Deo ſedem habebat; ac pro eius amore omnia minimo negotio peragere, ſine labore laborare, ac ſummos dolores ſine doloris ſenſu perferre videbatur. Diuini verò honoris Zelo ita erat intenſus, vt alioquin mitiſsimus in diuinas puniendas offenſas ardenter ſitiret, ac in blaſphemantes preſertim, pęnas incitare ſcriptis ſuis, & vocibus deſtiterit nunquam. Quia verò Charitas ſe extendit ad omnia, quæ à Deo facta ſunt: Ideò per Devm Robertus illa adamabat, & pro proximis præcipuè quælibet ſubire paratus, ſingulas quærebat vias, quibus illos iuuare poſſet. Quarè pro Animæ primum & corporis de-

inde illorum Salute gerere nunquam intermiſit. Infirmos crebrò inuiſebat, & ijs vigilabat in primis, de quorum ſalute dubitari ſentiret. Audit aliquando magnum quendam virum morti propinquum, ità ſecurum de ſua ſalute diſcedere, vt omnibus bono animo eſſe diceret, ſe ſaluum fòre. Extimuit Robertus, ne diabolica fraude illuderetur, nec deſtitit, quin citiſsimè occurreret, & illius ſaluti proſpiciendum curaret. Eidem vice quadam domum redeunti ingreſſum præ pauperum frequentia impeditum, cum quidam è ſuis tentaret, & in vnum ex illis ità licet inuitus offendiſſet, vt ad terram impulerit, moleſtiſſimè ferens Robertus illum repræhendit, ac ſimul exorauit, ne impoſterum ſuum ita perturbaret animum, & pauperes, quos ſciret eſſe pupillas oculorum ſuorum, tam inhumaniter tractaret. In pauperem febri laborantem, & in via proſtratum cum incidiſſet, in ſuo aſportari voluit, & quieſcere curru, donec, qui ad Xenodochium illum adducerent, reperirentur. Plurimos, quos per plateas iacere proſpexit in Hoſpitalis domum deferri mandauit. Ipſorum enim ſicuti ex corde compatiebatur calamitatibus, ità in omnibus, vt poterat ſubueniebat. Cœteros autē ſingulos maximà reſpiciebat Charitate, ac ſi quos erga

ſe ingratos & inhumanos reperiret, hos ſpeciali proſequebatur dilectione, & ſingularibus tuebatur beneficijs. Neminem perſequi, imo nec habere odio profitebatur; ſed induſtria quadam beneuolentiam, & amorem in ſe alebat omnium, & illud obſeruabat in primis, ne quid vnquam admitteret, cur quiſpiam poſſet indignari. Ideò neminem ab eo iniuriosè tractatum fuiſſe ſcimus, ac ne quidem appellatū acerbius. Suis etiam ſi quid præcipiendum eſſet, rogare ſolebat, & ne vllum grauaret moleſtia, curabat diligenter. Nec rarò accidit, vt in ſuos adminiſtros à cubiculo dormiētes offendens excitare minimè fuerit paſſus. Et vel ex ſe cōfecerit, vel diſtulerit, quod illis eſſet imperandum. Pediſſequos, cum aliquando Vaticanum adiens, vidiſſet pluuia grauari, In tertio collocari curru iuſsit, cœteris familiaribus in primo, & ſecundo vocatis, quæ tam amanter gerebat, vt omnes planè intellexerint, quòd tanquam filij ab eo diligebantur. Singulorum quærimonias perbenignè audiens, dum vnicuiq; ſatisfacere procuraret, ad pacem illos præcipuè adhortabatur. Ex hac incenſa charitate in proximos compaſſio etiam quædam redundabat in bruta animantia, cęteraſq; Creaturas Dei, quas maximè defatigari & exerceri crudeliter,

tolerabat moleſtiſsimè; & aliquandò ſe continuit domi, ne equos à quiete, & refrigerio reuocaret.

Hæ autem ſpectatiſsimę virtutes, quibus in omni vitæ ſuę parte, at in nouiſsima præſertim floruit Robertus, adeò commu-nem illi cōcitabant gratiam,& honorem, vt ad extremum vſq; actum perpetuò plauſu fuerit probatus, & ab omnibus vt ſpectabilis & ſimul amabilis honorificentiſsimè exceptus. Puer enim adhùc, & adoleſcens à parentibus & maioribus diligitur præ cęteris; à fratribus verò & æqualibus habetur in honore; in ſtudiorum certamine dux, & moderator cæterorum veneratur. In Religione adhuc Tyro à Iacobo Layne Prępoſito Generali vti veteranus CHRISTI miles aſpicitur.

In Monte regali à Sabaudiæ Duce concionans auditus talem ipſius init gratiam, vt mirum in modum ſemper aucta etiam totius eius Sereniſsimæ prolis in Bellarminam domum, & præſertim in Robertum ex Thoma germano fratre eius Nepotem, & SS. Mauritij, & Lazzari magnum Equitem adhùc redundet. A Diuo CAROLO Borromeo dum Mediolanenſis Eccleſiæ erat Archiepiſcopus, è Belgio, ſed fruſtra repugnātibus eius Societatis Superioribus, expetitur. A Gregorio Dęcimo tertio, vt

vna cum Philippo Nero, quem nunc inter cœleſtes Spiritus colimus, & Franciſco Maria Tauruſio etiam Politiano, deinde Cardinali Eſtaſis & reuelationum cuiuſdam Religioſiſsimæ Sanctimonialis decerneret rationes, deſignatur. A Fœlice Cardinali Peretto, qui poſtea Pontifex electus Sixtus Quintus nominatus eſt, ſumma habitus ęſtimatione editionibus operum S. Ambroſij opera & conſilio adhibetur. In Gallia à Lotharingo Duce ſuauiſsimis eius moribus deguſtatis, perpetua beneuolentia donatur. Pariſijs ab Alexandro Parmæ & Placentię Duce, & exercitus Hiſpaniarum Regis moderatore, cum vt Nepos Marcelli Secundi recognitus doctiſsimis ornamētis inſignitus videretur, tractatur honorificè. A Duce Bauariæ vt Philippo deinde Cardinali & Ferdinãdo nunc Archiepiſcopo Colonienſi filijs, dum Romæ moratur, exiſtat à confeſsionibus rogatur. Tuſculi à Ioanne Riccio Politiano Cardinale penè inuiſus amanter complectitur, & familiariſsimæ conſuetudinis, quæ inter illum & Marcellum ipſius Bellarmini Auunculum interceſſerat, efficitur ſucceſſor. Cæſari Baronio, Syluio Antoniano, & Franciſco Marię Tauruſio Cardinalibus eo amoris vinculo copulatur, vt diſiungi minimè poſſe videantur, & dum Clemens Octauus Ferrariæ de-

git, Venetias dulciſsima conſuetudine vnà petant. Philippo Hiſpaniarum Regi adeò extitit carus, vt gratiſsimam illius promotionem ad Purpuram Clementi Pontifici ſignificet. Ipſi verò eidem Pontifici intimus à conſilijs ſummis requiritur in cauſis, & paterno habetur amore: Nec deſunt Epiſtolæ quibus cum Robertus Capuæ eſſet ab ipſo Pontifice rogatur, vt liberè moneat, quę ſibi pro Eccleſia Vniuerſali videantur opportuna. Eandem verò Capuanam Eccleſiam gubernandam maxima populorum gratulatione & frequentia ingreſſus, illud venerationis & amoris ſimul conſequitur, vt veſtes eius pietatis cauſa deuotiſsmè tãgantur, & communi omnium voce, & ſalutatione diſceſſus deploretur. Etruriæ autem magnis Ducibus, ſub quorum feliciſsima ditione ortus erat, & FERDINANDO preſertim primo gratiſsimus, à COSMO Secundo, & MARIA MAGDALENA ab Auſtria eius vxore, ac CHRISTINA Lotharinga Matre erga Sereniſsimam Mædiceorum familiam Patris nomine inſignitur. Iacobus Dauit Cardinalis Perona ſuis impreſsit operibus, ſe libentiſsimè Bellarmini diſcipulum profeſſurum, & eius ſcripta in Gallicam linguam conuerti fecit, vt Hęretici, qui latinam ignorarent, illa legere, ac ex ipſis commodius fructum percipere

poſſent. Cum verò aliquandò apud Bellarminum ſe criminatum comperiſſet, quòd in eius doctrinam aliqua contumeliosè conijceret, honorificis ad illum ſtatim occurrit litteris, quæ adhùc ſeruantur, & diabolica hæc machinamenta deteſtans, potentiſsimis argumẽtis in ſe contortum crimen diluit, ac ſummoperè dolens præ his Satanicis artibus, quã Bellarminum & eius opera veneraretur, clariſsimè comprobauit. Sygismundò Poloniæ Regi quam eſſet carus, plurimę teſtantur vltró citroque alterius ad alterum Epiſtolæ tranſmiſſæ, quibus ſumma cum fide & beneuolentia de grauiſsimis agitur rebus. Henrici verò Quarti Gallię Regis illud in Robertum audiuimus ſtudium, vt cum de Subrogando Pontifice Clemẽti Octauo extincto tractaretur, Gallicos monuerit Patres, gratiſsimum ſibi fore, ſi in Bellarminum ſuffragia, & diligentiam ſuam deferrent. Rodulpho, Matthiæ, & Ferdinando Imperatoribus, nec non Vniuerſę Auſtriacę familię ſpeciali ſemper extitit in amore, & veneratione. Sanctiſsimi autem Domini Noſtri Gregorii Decimi Quinti, & Lvdovici Cardinalis Ludouiſij eius Nepotis honorificum proſpeximus officium, vt ad ſe illum receperint, quo ab intimo coſilio vterentur. Cæteros tandem tàm primarios, quàm Me-

dios, infimoſque Viros inter ſe de amore in Bellarminum; & venerationis ſignificationibus decertaſſe tenent memoria omnes.

Nec, dum Catholici ſinguli maxima veneratione Bellarminum intebantur, defuerunt ij, qui capitaliores eius erant inimici, quo magis à fide aberrarent; illum etiam habere in honore, & admirari, & primum Vitacherus Caluiniſta ad Cęcilium Anglię Theſaurarium ſcribens, Virum ſanè doctū, ingenio fœlici, iudicio ſubtili, lectione multiplici præditum Robertum iudicauit. Franciſcus verò Tunius, Duo, ait, apud multos, & ad miraculum vſquè illum eſſe aſſequtum. Vnum quod diligentia ſuę collectæ, & cinni laborioſiſsimi ex Pontificiorum omnium ſentētijs comportati pellexit multos, vt libros ipſius de Doctrina Chriſtiana, & Controuerſijs locis eius conſulerent: alterum quod nouatio iſtius operis multorum animos inflammauit, vt idem ſcriptum legerent. Daneus Rabioſiſsimus Miniſter, & conuiciator, variæ lectionis, & diligentiæ honeſtam Roberto tribuit laudem, & prædicat, ac memorię, & aſsiduę Patruum lectionis nomine gratias illi agendas dicit exiſtimare. Ciuis autem quidam Hamburgenſis notæ Caluiniſtę ad amicum ſuum ſcribens de quodam libello, in quo Anonimus ſcriptor Bellarmini famam ma-

ximè carpebat, inter cætera ait crimina in Bellarminum coniecta pro mendacijs meritò à Sapientibus quoſcunque adie-rint reputari, nec conſideratione digna cenſeri: Imò apud ſeipſum nullam fidem inuenire, ſed ſimplicis ſolum turpiſquè fabellæ locum obtinere, cum preſertim Bellarminum eſſe ſuperſtitem certò conſtaret & non lateret, quid de ſimillimis Viris illuſtribus ageretur; Finxerat enim illius libelli Auctor Bellarminum Lauretum animi expiandi cauſa adijſſe, & ibi propter conſcientiā ſcelerum, & ſalutem obijſſe deſperatum, ac ex eius libro confeſsionis, quem ſecum attulerit conſtitiſſe crimina, quæ ementitè ipſi obijciebat. Addidit igitur Hamburgenſis illud tantum exiſtimarè dolendum, quod tales cartas alienę famæ prędatrices impunè cudere, & recudere liceret. Michaël Coletus etiam precipuus Lutharanæ profeſsionis, Gedani propugnator, cognito, quod fabula iſta Gedani recuſa eſſet in concione edixit, mendaces has criminationes in eum Virum cadere non poſſe, quem eruditio & doctrina tot libris comprobata aliter vitam inſtituiſſe conuincebat.

In Gallia autem Pleſſeus Magnus ille inter magnos Hæreticus de Bellarmino loquens in operibus ſuis, ſuum Bellarminum

appellauit. Demum Iudęus quidam, qui Roma proximè diſceſſerat, cum in colloquia inter Oliuas nonnullos Gedanenſium Senatorum, & R. Philippum Alderum Oliuenſis Monaſterij Ordinis S. Benedicti Priorem incidiſſet, dum de Roberto illi dicerent eadem, quæ dictus Anonimus auctor ementitus fuit, Prior verò negaret; Iudęus tunc incolumem Bellarminum eſſe, & ad omnem honeſtatem, integritatemquè compoſitam vitam ducere pronunciauit: Iudæos verò omnes ſi Catholicos, aut magnam partem eorum ad normam Bellarmini mores ſuos exigere viderent, illicò à Iudaiſmo ad Catholicam Eccleſiam acceſſuros. At minimè miſſum velim ipſum Angliæ Regem propriò in Cubiculo Roberti libros retinere, eiuſquè virtutem inuidiam mortalium omnium ſuperaſſe videri, ac dici poſſe.

Sed ipſi etiam DEO Bellarminum gratum multis ab hinc annis teſtari voluit Diua Catharina. Hæc enim Sanctiſsima Virgo Religioſum quendam Virum alloqui ſæpiſsimè ſolita, cum de Roberto ſciſcitaretur, his verbis reſpondit, Diù viuet, & opera eius erunt placita DEO.

Septuageſimum interea Robertus agebat annum ſenſibus quidem integris, ſed corpore propter inaudita Vigiliarum, & laborum

borum ab infantia ſuſcepta incommoda ſatis attrito, dum obitus ſui tempus noſſet propinquum, & appeteret, à Summo Pontifice magna induſtria contendit veniam, vt ſibi proximè è viuis exceſſuro liceret publicarum occupationum onere depoſito ad ſuam redire Religionem, & quietis locum; vbi ex toto corde pœnitentiam agere poſſet, & pijs meditationibus ac precibus ad illum nouiſsimum diem, à quo omnium ſumma dependet, pręparare ſe ſe. Licet enim tota eius vita pœnitentiæ fuerit tempus, & comparatio ad bene moriendum, in his tamen poſtremis diebus multò diligentius ſibi inchoanti ſimilis, Animæ ſuæ tantum vacare, & in conſpectu ſolius Dᴇɪ flere intendebat. Quarè Octauium Bandinum Sanctæ Inquiſitionis Cardinalem Decanum, cui pro veteri & mutua beneuolentia inhęrebat coniunctiſsimus Interceſſorem apud Sanctiſsimum adhibuit. Venia igitur Pontificis impetrata in domo probationis Societatis ſuæ octauo Kal. Septembris anni proximè elapſi ſeceſſerat, & cætera negotia ſepoſiturus, reſeruata terminatione tantum aliquorum proceſſuum pro Sanctorum Canonizzatione, ac preſertim S. Philippi Neri, ad quem proponendum ipſe fuerat à Sacra Rituum Congregatione deputatus, Indicis Congrega-

tioni adeſſe voluit; vt grauiſsimo cuidam negotio finem imponeret. At inde digreſſus Domum reuertit, atq; illicò cœpit ex morbo periculosè decumbere, & febri defatigari continua, quæ duplicis Tertianæ, vt dicunt, proportionem habens vigeſimo die ad extremum illum perduxit. At quò Roberti debilitaretur corpus, eò magis videbatur ſpiritus roborari, & inuſitato ac maximo gaudio delibutus, quòd vltimam ſibi inſtare cenſeret horam commigrandi ad æternam vitam,quam domum ipſe ſuam appellabat; vt cum Domino æternum requieſceret; adeò eius ferebatur deſiderio, vt terrenarum rerum nauſeam habere, ſe ſatis diù vixiſſe, & Domum ſuam frequentiſsimè repeteret; Neque ab iſto ſermone ceſſare vnquam audiretur, ſiue febris incenderet, ſiue dolor affligeret, ſiue laſsitudo diſſolueret, ſiue æſtu caloreque febris à mente aliquando aberraret, ſiue illius ſanitate integra vteretur. Rogauit igitur, & efflagitauit enixis precibus, ne ſibi occultaretur periculum deceſſus ex hac vita, qua maximè oneratus moleſtiam excipiebat; & ideò à Reuerendiſsimo Mutio Vitelleſco Societatis ſuæ Prępoſito Generali, quem ſemper ſpeciali obſeruauerat amore, fidem dari vltrò ſibi voluit, ne ſibi eius certitudo differretur. Ab ijs verò, qui hoſtias,

& preces pro ſe offerrent, illud vnum requirebat, ne vitæ ſuæ à Deo peterent inducias; Imò ſummum ipſum Pontificem, qui inuiſere illum acceſſerat, cum audiſſet Devm inter aras & ſacra pro ſe precari, rogauit humillimè illo conſilio imposterum facturum, vt à Deo gratiam obtineret; non vt à mortis periculo liberaretur, ſed vt citius ab huius mortalis vitæ vinculis poſſet diſſolui, & ad Christvm ac Patriam proficiſci. Cum autem miniſtrantium circa ſe ſtudium videret. En quanta, dicebat ille, ob huius vermis & vilis pauperis ſanitatem patrantur, deturbantur quanta? Quarè graues prohibuit ſumptus, ne in ſe perderentur ea, dum Christi pauperes nòn panem, nō ſtratum haberent. Aduerſus morbi contumaciam induſtriam in ſe non deberi, vtpotè, qui iam nihilo inſeruire poſſet. Medicos ideò ſimul alloquebatur, quòd ad ſuam progredi domum ſinerent, neque impedire quærerent, nè homo mortalis iam expleto vitæ ſuę tempore moraretur: Minimè tamen recuſabat ipſorum acquieſcere pręceptis, cum ſe omnino diuinę crederet voluntati, & redderet è veſtigio paratiſsimum non modo illorum, ſed cuiuſcunquè etiam miniſtrãtium edicta exequi.

At quam altè in ſe virtutes has defixas haberet, & innatas, illò preſertim apparuit

tempore, quo ſui morbi initio per aliquot horas ex grauioris febris infeſtatione delirans, inter ſacras collocutiones & humilitatis, ac obedientiæ actus ſe continuò exerceret. Monuerunt intereà Medici illum melius ſe habere, ac communi gratulatione geſtiebant, dum ſolus ipſe altiſſima cordis mœſtitia correptus, quærebatur, quod à ſpe proximè commigrandi ad domum retraheretur. Quarè lacrymoſis ſæpiſsimè ſingultibus Cœleſtem Patrem exorabat, vt ad ſe illum iuberet venire. Neſcio aiebat ille, me adhùc vlli malum per DEI gratiam dediſſe exemplum: At quid in poſterum mihi ſit futurum ignoro; Plurimos enim ſcio, & perhorreſco ad hanc perueniſſe ætatem DEO gratiſsimos, qui cum diutius vixerint, ſalutis ſuæ dubium reliquerunt. Nec premi dolore, & intimis afflictari eiulatibus ceſſauit, quin prius in die Beatiſsimæ VIRGINIS Natiuitati dicata intellexerit tempus tam exoptatum appropinquaſſe. Quo contineri minimè potuit, quin præ feſtinatione alta claraquè voce ter repeteret hec verba. O bonum nuntium. Sacratiſsimo igitur Viatico pro ſequenti die indicto; eadem enim manè & altera ex precedentibus venerabili cibo cum veræ pietatis ſignificatione ſe recreauerat; S. CAROLI Borromei mortis lectio-

nem audire voluit: Et quia iam per decem annos antea Teſtamentum de humanis ſapientiſsimè condiderat, cœleſtibus ideò tantum incumbens meditationibus & colloquijs, etiam de ſpiritualibus teſtaturus. Medietatem vnam Animæ ſuæ dulciſsimo ſuo CHRISTO IESV: Alteram verò Sanctiſſimæ VIRGINI MARIAE legare ipſemet ego audiui. Sequenti verò manè cum Dominum & Creatorem ſuum venire cognouit, ſumma cum deuotione & humilitate è lecto ſurgens, humi ſtratus, & genibus flexis (vires ſubminiſtrante charitate) percipere voluit, illique ex toto corde agonem ſuum commẽdare. Gratiarum autẽ actione perſoluta duo ſibi promitti curauit, quæ Teſtamento ſuo conſcribebantur. Vnum nimirum, quòd ſine vllo apparatu ſepeliretur, Alterum quòd efferretur in Sepulcro Patrum ſuæ Societatis. Neq; ſex horæ elapſæ erant, quòd Sacramentum vnctionis porrigi inſtantiſsimè poſtulauerit; vt in prælium cum morte deſcenſurus, dum validis vteretur ſenſibus, ijs etiam armis muniri diutius minimè protraheretur. Reuerendum deinde Patrem Andream Eudemoioanem eiuſdẽ Societatis, cuius doctas ſcriptiones Robertus ſemper ſumma veneratione ſuſpexerat, rogauit, vt litteris teſtaretur ſe per miſericordiam DEI in Eccle-

ſia Cattholica & ea fide decedere, quam ſemper animo & ſcriptis ſuis profeſſus fuerat, ac ne de ea aliter morientem ſentire, vel ſenſiſſe vnquam, quam operibus docuerat ſuis.

Hac verò Bellarmini Egritudine per Vrbem delata, omnes tam ſummæ, quam mediæ, & infimæ conditionis Viros permagnus inuaſit dolor, & licet initio ex Medicorum pręcepto, ne ab adeuntibus defatigaretur, ferè nemo admiſſus fuerit: paulò tamen poſt arceri viri primarij minimè potuerunt, quin illum ſalutaturi, & vltimum Vale precaturi adierint: Acceſſerunt Illuſtriſsimi Collegę, & purpurati Patres bini, terni, & quini, ac plerique ſemel, atq; iterū reuerſi, cum in digreſſu interceſsionibus illius apud cœleſtem Patrem ſe commendati benedictionem implorarent, & ipſe abnuens ſibi potius illorum deferendam, humillimè reſponderet, manibus eius exoſculatis, & oculis ac capiti ſuo admotis non ſine lacrymis diſcedebant; mittebāt etiam nonnulli pluries ſingulis diebus ſciſcitatum de ipſo. Nec qui aberant vti preſertim Illuſtriſsimi ac Reuerendiſsimi Franciſcus Sfortia, Odoardus Farneſius, & Alexander Vrſinus eiuſdem peramātiſsimi, obſeruantiæ & officij genus pręteribant cum familiaribus ſuis, vel eiuſdem Societatis Pa-

tribus quotidiè de illo moneri demandarent. Plurimis intereà ac deinde ſingulis etiam inferioris nobilitatis Viris illum ſaltem intueri expetentibus ingreſſus non potuit denegari. Nonnullis verò manus etiã exoſculari permiſſum erat, cum ipſe clauſis plerunque oculis, vel diuinis meditationibus eſſet intentus, vel aliquandò ex præcedenti febre, ac Vigilia grauatus aliquid caperet quietis. In eius autem familiares, vel Patres Societatis, quoties per Vrbem quiſquã incideret, anxiè quęrebat de eiuſdem ſalute; Et cum in nobilium, ac infimorum cœtu frequentiſsimus de illo eſſet ſermo, plurimi proprium ſanguinem libenter effuſuri pro tãto Chriſtianæ Reipublicæ incommodo reparando audiebantur. Sed non minor extitit cura de ijs rebus, quibus ille vti cõſueuerat apud ſe Religionis cauſa ſeruandis. Miſſale enim vno Pontifici delato, Breuiaria, Diurnum, Roſaria, pios libellos, pileos, ac cętera huiuſmodi ijdem Cardinales, & primarij Viri deſumpſerunt. Illis verò quibus nihil extorquendum ſupererat alios miſerunt pileos, Roſaria, & ſimilia, quibus cum ipſe per aliquod temporis ſpatium vſus eſſet Dominis remitterentur. Sanguis ex ſectione venæ die tertia decubitus, & deinde ex arundinibus ad aures admotis miſſus partim vaſis, & par-

tim linteolis exceptus à Medicis, cœteriſquè, qui aderant diligentiſsimè fuit aſſeruatus.

Aderat interea familia, aderant conſanguinei aliqui, aderant Patres ipſius Societatis, luctu ac lacrymis peracerbè mœſtiſsimi, & dulciſsimi Patris, ac Patroni vltima precatione benedicturi. Cum ipſe intentis in cœlum oculis eleuato brachio omnes benedicens addidit. Pacem do vobis, Pacem relinquo vobis, Pacem commẽdo vobis. Quia verò deinde illud vnum Robertum vrgere cœperat, ne libellam nimirum Patribus ſuæ Sodalitatis ex Teſtamento hæredibus inſtitutis ita relinqueret tenuem, vt perſoluẽdis exequijs, & ſe componendos ſatis non eſſet, ijſque obeſſe poſſet; quibus ſtatuerat ſubuenire (decreuerat enim Robertus impoſterum à publicis functionibus vacuus redditus omnes ſuos pro eiuſdem domus profeſſæ cenſibus ſoluendis elargiri) Iterum ſe ſine vlla pompa ſepeliri iuſsit, & quaſi diuinaret, quid futurum ſemel præcepiſſe minimè contentus pluries iterauit. Petijt etiam à Summo Pontifice ſolutionem Cardinalitij anuli ſuis hæredibus condonari, & audita impetratione cum ſe à moleſtię periculo videret ſecurum, mirificè lætatus, Pontificiæ liberalitati plurimas reddidit gratias. Sci-

pioni verò Cardinali Cobellutio, cui placuerat Sanctiſsimo rem hanc propoſito ſermone indicare, pro beneuolentia in ſe ſemper comprobata ſe faſſus fuit addictiſsimum. Sicuti enim mortis minimè terrebatur periculo, ità placidiſsimè alloquebatur omnes, & ſuæ humilitatis & grati animi perſoluebat officia. Ideo Odoardi Cardinalis Farneſij audita quadam Epiſtola innumera illius, nec non totius Sereniſsimæ Farneſię familiæ per longam ſeriem annorum in ſuam ſodalitatem, in maiores ſuos, & in ſe ipſum beneficia commemorans; querebatur, ne pares deuotionis reddere poſſet ſignificationes. Et in Collegij Germanici Protectoribus Franciſcum Cardinalem Boncompagnium connumeratum à Sanctiſsimo ſentiens, mirifica perfundi voluptate pronunciauit, regimini illi præpoſitum audiſſe Gregorij Tertij Decimi Collegij illius fundatoris non minus pietatis quam Sanguinis digniſsimum ſucceſſorem. Diſſoluebantur interea pijſsima illa vincula carnis, & ſpiritus; dum ipſe in cubiculo cordis ſui, & intra ſe tacitus cœleſtia lætabatur mira cum pace meditari, & beatos affari ſpiritus, ac fœliciſsimas audire voces videbatur, cum miniſtrantes obſeruarunt, quôd aliquando plenus animi, & ardore quodam Spiritus geſtiebat ferri in Cœlum,

& DEVM obſecrabat; vt carnem (aiebat ipſe) putidam & verminoſam diuelleret, quæ ſibi ad ipſum commigrandi erat impedimento: imò ipſammet etiam proprij brachij carnem altera manu deſumens ſic loquebatur; Quid non disrumperis caro proditrix? Quid agis? Quid differs? Ad DEVM verò reuerſus dicebat, Non mea, ſed tua voluntas fiat. Aliquando vero in imum ſe humilitatis abijciens videbatur pertimeſcere Diuinum Iudicium, & ijs, qui in Superna Patria DEVM pro ſe precari exorabant, reſpondebat. Nimis magna eſt res iſta, non tam facilis eſt Via, quę ducit ad Vitam: Magnum DEI beneficium in me futurum exiſtimabo, Purgâtorium etiam permultos annos obtinere. Addebat tamen, quòd ſi ſalutis ſedem fuiſſet adeptus, pro omnibus, ac pro Patronis, ac benefactoribus ſuis preſertim minimè ſe exorando defuturum. Suſcepit poſtremam, & ſaluberrimam Pontificis benedictionem, ac vt maiori perciperet veneratione & fructu, confeſsionis illam, alijſquè orationum pijs precibus voluit anteuertere. Tandem Creatori ſuo ſpiritum redditurus, Sacratiſsimam CHRISTI è Cruce pendentis effigiem per iteratos amplexus pluries exoſculatus, labantibus brachijs capiti ſuo impoſuit in ſupremæ deuotionis ſignum;

deinde verò ad pectus illa dulciter ſtricta, brachijs in ipſiuſmet Crucis figuram cancellatis, Apoſtolico Symbolo, Pſalmo Quinquageſimo, Oratione Dominicali, & Salutatione Angelica clarè diſtinctèquè pronunciatis, ſemimortuis poſtremo vocibus IESVM trigeties inuocauit. Et iam deſtitutus voce clauſerat oculos & membra cœperat explicare cum in vltima conflictatione ſpecie vultus hilariori in Redemptorem ſuum iterum defixis oculis, & ore ad loquendum compoſito placidiſsimè tradidit Animam hora ſecunda poſt Solis Ortum feria ſexta quintodecimo Kal. Octobris Anno poſt CHRISTVM natum M D C X X I.

Hinc dulciſsimo orbati parente inter luctus & lacrymas, quas tenerrimus percipiebat animi noſtri ſenſus, poſtrema manum ac pedum oſcula exhibuimus. Mox verò eius corpore pro multitudinis ſequentis ſtrepitu vitando in domum profeſſorum eius Societatis clam delato, ſtatim ac eius mors in vulgus promanauit, ille hominum, & Prelatorum concurſus viſendi, & manus ac pedes eius exoſculandi cauſa eſt factus, vt ante primam Noctis horam aditus denegari minimè potuerit. Conſequēti poſt die, iuſtà ſine Cardinalitij funeris apparatu fieri ſicut ipſe Pontificem ſuo teſtamento obſecrauerat nō eſt permiſſum.

Adfuit enim purpuratorũ Senatorum Corona adhibita Heluetiorum cuſtodia, vt populi arceret frequentiam, quæ talis fuit, vt Seniores ipſi nõ meminerint in illo Templo vnquàm ſe vidiſſe maiorem. Ea quidem nec ſubmoueri potuit, quin deuotionis ſtudio aliquid Veſtium auferre tentans Cardinalitium Galenum abſtulerit, & floccos ex eo pendentes decerpſerit. Roſaria interim eius corpori religioſè tangendo ſunt continuo admota. Iuſtis autem perſolutis, ijs, qui in Eccleſia enixè morabantur, vt manus ac pedes exoſcularētur vſquè ad tertiam noctis horam corpus eius expoſitum eſt. Deinde cum à Bernardino Caſtellano Pontificis Phyſico, & Medicæ artis Viro preſtanti de more procuratum, & aromatibus iam primum fuiſſet conditum, compoſitum eſt in capſa lignea, & in Communi Patrum eiuſdem Societatis loculo vt ipſemet concupierat.

Eius verò Teſtamenti hoc eſt exemplar.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. *Ego Robertus Bellarminus tituli S. Mariæ in Via Præſbiter Cardinalis è Societate* IESV, *aſſumptus petij à Sanctæ Memoriæ Clemente Octauo facultatem condendi teſtamentum ad pias cauſas tantum, vt certus eſſem ea, quæ mihi decedenti bona temporalia ſupereſſent, quæquè dum viuerem diſpenſari pauperibus vel Ecclesijs non poterant, vtpotè meæ*

ſuſtentationi neceſſariæ, ad Pauperes & Eccleſias redirent. Conceſſit Pontifex indultum teſtandi generalius, quam voluiſſem, ſed non acceptaui, niſi ad pias cauſas, vt petieram. Habetur hoc indultum inter alias bullas mihi conceſſas in magno folio pergameno cum plumbo datum Anno Domini MDCIII. VI. *Idus Aprilis Pontificatus Sanctiſſimi Papæ Clementis Octaui anno duodecimo. Ergo hoc indulto præſuppoſito teſtamentum condidi Capuæ cum eſſem Archiepiſcopus eius Ciuitatis, deinde eo abrogato, aliud condidi Romæ: Sed propter circumſtantias mutatas hoc ſecundò etiam abrogato, nunc iterum teſtamentum condere ſtatui, cum ſim annorum ſexaginta nouem, & proximus vltimæ diei, vt opinor, ſed mente, & corpore per* DEI *gratiam beneualens.*

Primum igitur Spiritum meum in manus D E I *commendatum toto corde exopto, cui ab adoleſcentia ſeruire deſideraui, & precor vt me inter Sanctos electos ſuos non æſtimator meriti, sed veniæ largitor admittat. Corpus meum non apertum nocturno tempore, sine vlla pompa ad Eccleſiam Societatis* I E S V, *vel Collegij Romani vel domus profeſſæ deferri volo, & exequiæ fiant per ſolos Patres, & fratres Societatis ſine interuentu Sacri Collegij ſine lecto ſublimi, ſine inſignijs, vel flauellis, eademquè ſimplicitate, qua cœteris de Societate fieri ſolent, & hac de re quam maximè poſſum Sanctiſſimum Dominum Noſtrum humiliter rogo, vt deſiderio meo ſatisfaciat.*

Quod attinet ad locum Sepulturæ libenter iacere corpus meum voluiſſem

ad pedes B. Aloiſij Gonzagæ mei quõdam ſpiritualis filij: Sed tamen Superiores Societatis vbi voluerunt corpus meum ponant. De rebus temporalibus mihi à Sede Apoſtolica conceſſis, vel vndequaque acquiſitis ita diſpono. Hæredem Vniuerſalem nomino, & inſtituo domum profeſſam Romanam Societatis IESV, *in qua Religione nomen dedi. Volo autem, vt primò ſoluantur debita, ſi quæ fuerint, & iura ijs quibus debẽtur: Deindè dentur familiæ ad quadraginta dies more ſolito, quæ ad victum pertinent, ideſt, quod illis taxatum eſt in pecunia, pane, vino, & companatico. Neque aliud eis relinquere poſſum cum ad ſolas pias Cauſas Teſtamentum faciendi facultatem petierim, & eadem cauſa ſingulis ſtipendium, ſiue prouiſionẽ aliquam dederim præter victum.*

Fratri

Fratri meo ſecundum Carnem, vel eius heredibus reſtituatur Imago, ſeu Quadrum Clemētis Octaui Pontificis Maximi. Nepoti meo Angelo detur Imago, ſeu Quadrum Roberti Cardinalis de Nobilibus, & vnū ex duobus Quadris S. CAROLI Borromei, & vna ex paruis Crucibus, quas ad pectus ego gero cum reliquijs incluſis. Collegio Romano reſtituantur annalium Cardinalis Baronij tomi ſex, quos mihi accomodauit, vt eidem dentur alij ſex mei; nam cum hac conditione accepi à Collegio ſex primos Tomos, qui meo nomine dati fuerunt Collegio eidem ab eodem Auctore, vt poſt obitum relinquerem integrum opus. Eidem Collegio relinquo vnam ex tribus planetis pretioſis cum ſtola, & manipulo quam voluerit, & omnia ſcripta mea, & totam Bibliothecam, niſi Reueren-

diſſimo Patri Generali videatur, Bibliothecam alicui alteri loco Societatis magis egenti applicare. Sanctæ Mariæ in Via, qui Titulus meus eſt relinquo vnam ex tribus planetis pretioſis, quam hæres meus dare voluerit. Aliud titulo meo non relinquo, quoniam ſatis multum expendi in fabrica Eccleſiæ, vt fratres illi ſciunt, qui hoc ipſum petierunt loco paramentorum, quæ illis emere conſtitueram. Reliqua omnia bona, quæ quocunque modo ad me pertinent, ſeu pertinebunt, ſiue immobilia, ſiue mobilia, ſiue ſe mouentia, ſiue iura, ſiue credita, ſiue ſacra ad Cappellam, ſiue profana ad ueſtiarium, vel cellas varias pertinentia, ſiue pecunias numeratas, ſiue quæcunq; alia integra ad hæredem, ideſt ad domum profeſſam Romanam Societatis IESV, *vt dictum eſt, pertineant.*

volo, & in illis omnibus, & ſingulis ipſam hæredem inſtituo, & nomino. Pro auxilio Animæ meæ nihil relinquo, tum quia parum admodum erit, quod ad hæredem meum perueniet, cum ego cumulandis pecunijs, vel rebus pretioſis acquirẽdis nunquam operam dederim. Tum quia confido imò certo ſcio non defuturam huic offitio piam charitatem matris meæ Religionem videlicet Societatis IESV, *vt pro alijs filijs ſuis nũquam deeſt, & quemadmodum ego non defui toto vitæ meæ tempore pro defunctis Societatis ſacrificia & orationes* DEO *offerre. Executorem huius meæ voluntatis nomino honoris cauſa Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum Dominum meum Cardinalem Aldobrandinum. Labor enim, vt exiſtimo nullus erit in executione teſtamenti huius. Relinquo*

autem Illuſtriſsimo Domino meo id, quod pratioſius nihil habeo, videlicet Crucem ligneam reliquijs pretioſiſſimis refertam, quarum Cathalogus in ſcriniolo cooperto rubro holoſerico inuenietur.

Hoc teſtamentum valere volo prioribus abrogatis, in omnibus, & per omnia reuoco, caſſo, & annullo, etiam ſi hoc forte non fuerit cum debitis ſolemnitatibus factum; id enim aperte concedit Bulla Summi Pontificis Clementis Octaui, in qua mihi data eſt facultas teſtandi etiam per ſimplicem Epiſtolam, vel cedulam manu mea ſubſcriptam.

Ego Robertus Cardinalis Bellarminus, vt ſupra diſpono, inſtituo, lego, & teſtor, nõ ſolum prefato, ſed omni meliori modo die XXIII. *Januarij.* MDCXXI.

QVIA verò Robertus anno ſuperiore de more Cardinalium & optionis iure, ad titulum Eccleſiæ S. Praxedis tranſierat & Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus D. Cardinalis Petrus Aldobrandinus nominatus teſtamẽtarius executor obierat, legatum ideò relictum Eccleſiæ S. Mariæ in Via ſoluendum eſſe Eccleſiæ S. Praxedis declaratum Robertus reliquit, & Illuſtriſſimum ac Reuerendiſs. D. Cardinalem Hippolytum Aldobrandinum premortui Nepotem eiuſdem teſtamenti Rogauit executorem.

Sic igitur illum amantiſſimum in terris ammiſimus Patrem, quem nunc recenſemus, lucratos eſſe Patronum in Cœlis, & quem Chriſtianæ Reipublicæ vidimus adhùc inexpugnabilem defenſorem, im-

poſterum ſperamus interceſſorem pijſſimum, & quidem ſicuti plurimi non deſunt, qui illius ſepulcrum pijs precibus frequenter adeant, nec non illum implorent; Ità etiam nec pauci adhùc numerãtur, à quibus eius interceſſionem & auxilium minimè fuiſſe deſideratum ipſimet profitentur; quos referendos illis, qui eiuſdem vitam, & acta accuratiſſimè conſcribunt, relinquam.

INDEX.

ROBERTI ortus & Educatio pagina 11
Eius vocatio ad religionẽ & ingreſſus. p. 14
In ſtudiorum & vitæ diſciplina profectus. p. 16
Sacris initiatur. p. 18
Romæ controuerſias ſuas explicat. p. 19
Pariſios cum legato petit. p. 20
Ab Innocentio Nono deſignatur Cardinalis. 20
Religionis fungitur præfecturis. 22
Creatur Cardinalis ſub precepto obedientiæ. 22
Sibi & aulicis ſuis domeſticam inſtituit diſciplinam. 25
Capuano Archiepiſcopatui præficitur. 27
De ijs quæ in illa Eccleſia geſſit. 29
Romam ad Pontificia comitia reuertitur. 38
A Pontifice Romæ detentus remittit Archiepiſcopatum. 39
Scripta & acta ad coadiuuandos proximos & aliquorum conuerſio. 41
Contemptus Diuitiarum. 45
Auerſio à Conſanguineis & Patria. 46. 49
Humanarum Laudum fuga. 51
Roberti Prudentia. 55
Roberti Iuſtitia. 60
Roberti Fortitudo. 64
Roberti Temperantia. 68
Fides Roberti. 69
Spes Roberti. 69

Charitas Roberti. 71
Plurimorum de Roberto eſiſtimatio & Iudicium. 74
Roberti receſſus ad Domum probationis ſuæ Societatis. 81
Roberti Egritudo, & mors. 82 91
Teſtamentum Roberti. 93

FINIS.

618480
Z
2418.3

105